55450

JOSEPHI EYEREL

COMMENTARIA

IN

MAXIMILIANI STOLLII

APHORISMOS.

DE

COGNOSCENDIS ET CURANDIS FEBRIBUS.

Morbis quoque quasdam leges natura poſuit.

Plin. Hiſt. nat. L. VII

TOMUS TERTIUS.

VINDOBONÆ,

TYPIS CHRISTIANI FRIDERICI WAPPLER.

1790.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

FEBRIS BILIOSA.

SYNONIMIA.

Variis nominibus febris hæc bilioſa ab auctoribus inſignitur:

1). Febris cholerica *Hoffmanni.* med. rat. Syſt. Tom. IV. P. 1. Sect. II. c. 2.
2) Febris gaſtrica *Ballonii.* Opp. I. 2. Epid. p. 78.
3) *Pringlii*-Febris remittens caſtrenſis: *Von den Krankheiten der Armee.*
4) *Heiſteri* Febris inteſtinalis. Comp. med. pract.
5) Febris Hungarica.

POLYCHOLIA

De ampliſſimo genere morborum loquimur, ſcilicet de morbis biliofis. Nomen obtinent hi morbi a *bile*, more Veterum, qui *ſanguinem*, *pituitam*, *bilem*, & *atram bilem*, tanquam cauſſas materiales accuſarunt. Inde natum *ſyſtema humorale*, a modernis damnatum, at immerito. Non enim humores ſoli ægrotant, ſed etiam ſolida; at mutatio ſolidorum minus ſub conſpectum cadit; magis vero vitia fluidorum.

Sanguinem noſtrum variis elementis conſtare, atque humores *ſecretos* in eodem jam præexiſtere, Phyſiologi nos docuerunt.

Hæc vero humorum ſecernendorum in ſanguine elementa, *quantitate* & *qualitate* peccare poſſunt, & ſæpe ſolent.

Sic, ut per exempla res declaretur, in homine debili, poſt morbum acutum, longam intermittentem, item in puella cholorotica deficit *pars ſanguinis rubra*, ſeu cruor, & adeſt ſeroſa aut *pituitoſa cacochymia*. *plethora ſeri*, aut *pituitæ*.

In homine laute paſto, euſarco, facies rubet, vultuoſa eſt, ſanguis vena forte emiſſus in coagulum abit, pauciſſimo ſero ſuperſtite. In tali homine abundat pars ſanguinis rub-

robra, & adeſt *plethora cruoris*, ſeu ſimpliciter plethora.

In alio homine vitioſo, exercitato, ſecta vena ſanguis cruſta tegitur. Utut variæ ſint hujus explicationes; tamen *lympha coagulabilis* abundare videtur, quam plethoræ ſpeciem; ubi non *ſerum*, non *cruor*, ſed *lympha* coagulabilis abundat, appellant diatheſin *phlogiſticam* ſeu *inflammatoriam*.

Illæ partes conſtitutivæ ſanguinis, quæ *ſecretæ bilis* audiunt, ſubinde jam *ante* ſuam ſecretionem abundant. Humor hic nondum bilis, attamen *biliformis*, ſubinde copioſior adeſt. Dicitur tunc *phethora knilioſa*, ſeu *Polycholia*.

Diverſæ hæ miſtiones ſequuntur varias cauſſas *particulares*, ſcilicet vitæ genus &c.; & *univerſales*, pandemicas, epidemicas. Sic, iterum in exemplo: acri urente gelu *lympha* abundat, tempore pluvio *ſerum* & *pituita*; calore verno appetente & æſtivo ſæpe *bilioſus humor*. Utut non exacte ſequatur hæc varia cratis hunc ordinem temporum;

Hanc bilioſarum febrium cauſſam proximiorem in ipſo ſanguine *præexiſtere*, neque e *primis* ſolumodo *viis* in communem humorum maſſam *refundi*, aut a nervorum *conſenſu* originem trahere, gravia ſane argumenta

 evin-

evincunt. Atque omnium primo multiplex obſervatio medicos docuit, dari ſubinde febres biloſas, quin ulla bilis circa primas vias collectæ ſigna adſint, easque ipſas febres ſubito tam copioſa bilioſæ materiæ ανα και κατω evacuatione judicari, ut talem copiam corruptæ bilis ex tempore in primis viis accumulatam fuiſſe, tam facile haud credas. Accedit, quod & tales caſus fuerint obſervati, ubi febre bilioſa urgente, nullis tamen ſignis gaſtricæ illuviei conſpicuis, repente ad aliquam partem externam bilioſi humoris metaſtaſis facta eſt, unde mox omnis inſultus febrilis ceſſavit.

Non itaque a *reſorpta* ex primis viis bile febres bilioſæ oriuntur. Si enim res ita ſe haberet, nulla ratio eſſet, cur collectæ circa primas vias ſordes bilioſæ nullam in loco primario affecto morboſam mutationem efficerent, at in ſanguinem tandem reſorptæ maximas turbas excitarent. Deinde bilis tanta copia in prima regione accumulata, diuturna ſtagnatione in partes ſuas conſtituentes dilaberetur potius, quam febrim bilioſam progigneret. Atque ſi etiam vera bilis ex abdomine a venis bibulis reſorberetur, ea utique in ſanguinem regurgitans, utpote cum eo haud miſcibilis, icterum, non febrim bilio-

ſam

ſam produceret. Ipſe equidem *Stollius* hanc quondam reſorptionem tuebatur, *a*) quam tamen ſententiam, longa obſervationum ſerie aliter edoctus, in noviſſima febris bilioſæ doctrina deſeruit. Quamvis non negaverim, particulas oleoſas ex primis viis in ſanguinem reſorptas ad progenerandam polycholiam multum conferre. Multo minus ex celebri illo *partium conſenſu* febris bilioſæ geneſis derivanda eſt. Cur enim multa aut acris bilis in inteſtinis collecta, viſcera hæc tanta irritabilitate donata, non afficiat, ſed in partes ſæpe longiſſime diſſitas vim ſuam exſerat? *b*)

a) *Stoll* ratio medendi P. I.

b) Hanc a conſenſu nervorum explicationem optime refutat vir celeberrimus *Jo. Chr. Reil* in doctiſſimo tractatu de *Polycholia* Halæ 1782. &c. Altera ſectio prodiit ſub titulo *Fragmenta metaſchematiſmi polycholiæ*. Ibidem 1783.

POLYCHOLIÆ SANATIO.

Videamus nunc, quibus modis natura, aut naturæ imitatrix ars, bilis elementorum exſuperantiam ad juſtum erga reliquos humores moderamen ſoleat reducere.

Atque omnium primo vomitu & alvo fluente abundans biliformis humor ſolet evacuari. Novit *Swietenius a*) plures homines, quibus ſemel in menſe ſubito capitis immanis dolor & febris oriebatur: poſtquam aliquot horis hoc perpeſſi fuerant, magnam bilis copiam evomuerunt, & illico ſe optime habebant. Anglus quidam podagricus latentem in ſanguine fovebat fomitem bilioſum, cum urinam ex rubro flavum mitteret, & ſudor fœtidus induſium croci inſtar macularet. Evomuit ſponte aquæ viridis æruginoſæ unciam cum dimidia, ſymptomata extemplo remittebant, & ex ſomno recreante ſanus experrectus eſt. *b*) Subinde diarrhæa jungitur; choleram plerorumque morborum æſtatis graviorum antidoton ſalutabamus, & emetocatharticum medicatricis naturæ, ait *Stollius c*): ſimilem obſervationem *Biſſetus* adducit; menſe Julio ad finem pergente, & inchoante Augusto benigna quædam choleræ ſpecies apparet, quæ absque magno remediorum apparatu, aut ſua ſponte ſanatur, & criſim potius bilioſam refert. Qua certe evacuatione, antequam acrior redditur bilis, vehementior febris bilioſa prævertitur. *d*)

a) *Swietenius* Comment. Tom. II. p. 44.
b) *Zimmermann* von der Erfahrung. p. 287.

c) *Stoll* ratio med. T. III. p. 64.

d) *Biſſet*. Eſſay en the medical conſtitution. p. 205.

Etſi hæc humorem biliformem evacuandi ratio frequentiſſima ſit, aliis tamen etiam viis id ſolet quandoque contingere, urinis nempe & ſudoribus.

Illioſorum urinæ mox turbantur, & ſedimentum lateritium deponunt. Neque mirum hoc in morbis contingere, cum in ſtatu etiam naturali aliqua quotidie bilis elementaris portio per urinas effluat, unde citrinus urinæ color, & viſcidula conditio. Particulas has urinæ admixtas eſſe, ex eo arguimus, quod evaporata urina jumentorum relinquat magma amaricans, cui affuſus ſpiritus vini rectificatiſſimus extrahit tincturam flaviſſimam, inſtar bilis amaricantem. *a*)

a) *Reil* l. c. P. I. p. 64.

Tranſpiratio quoque inſenſibilis peropportunum ſanguinis purgatorium a natura conſtitutum eſt. Illæ enim oleoſo ſalinæ particulæ per tranſpirationem inſenſibilem excluſæ, quæ volatili odore gaudent, & induſia maculant, eædem ſunt, ex quibus hepar bilem conficit. Nil ſingulare eſſe in œconomia animali, duo organa excretoria mutua

ſibi præſtare officia, docent urinæ & materiæ tranſpirantis ſecretiones, pro rerum conditione alternantes. Et generatim excrementum ſanguinis homogenea eſt materia, quæ ſpecifice non differt, hepar modo craſſiores, urina tenuiores, & tranſpiratio cutanea tenuiſſimas illius partes eliminat. Tranſpiratio inſenſibilis & mador nocturnus actuoſiſſimas bilis partes optime ſemper evacuant. *a*) Perſæ, inquit *Tavernierius*, aliquod decoctum radicis chinæ recentis copioſe epotant; hinc ad lectum compoſiti, & denſius cooperti uberrimis ſudoribus perfunduntur; ſudorque adeo flavedinis particeps eſt, ut non tantum pannos appoſitos hoc colore intenſe commaculet, & lintea, ſed ex evolantibus ejus effluviis ipſimet conclavis parietes & tabulata ſaturate pariter flaveſcant. *b*)

a) *Reil* l. c. P. I. p. 62.
b) *Baverniers* Reiſen nach Perſien. P. I.

Quid natura ſibi relicta in hoc morbo valeat, vidimus; hinc patet, quid ars debeat, quidve poſſit efficere. Abſit itaque victus animalis, abſint oleoſa, lacticinia; potus ſit copioſus, acidulus; moderatus accedat corporis motus; ut bilioſus humor ad varia corporis colatoria blande determinetur; univer-

ſum

ſum tandem corpus, & primæ præſertim viæ corroborandæ ſunt.

FEBRIS BILIOSÆ GENESIS.

Non autem ſemper abundans hic humor bilioſus ea, qua diximus, facilitate, ſolis naturæ viribus e ſanguine extricatur, & rariſſime contingit, ut medicus ad polycholiam ſimplicem accedat; plerumque enim æger tum demum ſuæ committitur curæ, cum præter nimiam copiam, etiam vitioſa mixtione affecta ſunt elementa biliaria; unde multiplex malorum ſcaturigo. Prout enim major minorve acrimonia, volubilitas, aut tenacitas huic humori ineſt, prout in nobilem aut ignobilem corporis partem incumbit, atque pro varia ægroti corporis conſtitutione, diverſi omnino effectus in corpore oriuntur.

Raro enim ſuccus biliarius *a*) diu blandam ſuam naturam conſervat, multisque alternationibus eſt ſubjectus, propter lentorem illi a natura proprium, principiorum componentium diſparitatem pluralitatemque. Interdum ſtatim ab ortu nocivas ſuſcipit qualitates, quarum prima eſt, quod acrimoniam variæ indolis concipiat. Acris hæc, imo in-

interdum cauſtica polycholia tenuis eſt, fluida, penetrans, activa, mobiliſſima; acutiſſimorum, phreniticorum, inflammatoriorum morborum fœcunda genetrix. Regnat a prima æſtate, & cum naſcituro vertumno faſces deponit. Hyeme enim bilis ſub pituitæ compedibus depreſſa jacet, excutitur verno tempore, expanditur ulterius æſtate, & excandeſcit; viſcido lentore cum autumno revertente, ſervile iterum ſubit jugum. Ab ultima æſtate ad medium usque autumnum fluidiſſima illius natura paulatim in ſpiſſiuſculum tranſit lentorem, dum plures partes mucoſæ illius mixtionem ingrediantur. Decreſcente tenuitate decreſcit & activa illius acrimonia a viſcido illam involvente. Pulmonibus infeſta hæc materia diuturniorum morborum parens eſt, longum coctionis tempus ſibi vindicat, medicum patientem, medicinam reſolventem, & ægrum præſcriptæ diætæ regulis ſtricte obedientem. Si iterum non evacuatur ſuccus biliarius, in piceam, tenacem, nigram abit materiam, quæ omnia obſtruit, ductus, canales, vaſcula impervia reddit, liberum humorum motum retardat, ſecretionum & excretionum ſanas functiones lædit, & peſſimam morborum chronicorum progeniem parturit, hebetiori oculo ſuam ex po-

ly-

lycholia depravata originem abſcondentem. Cum prima æſtate eæ exiſtant cauſſæ, quæ in rubro latice quotannis flavas generent impuritates, quotannis quoque obſervamus deſcriptas has illarum metamorphoſes; & cum quavis mutatione genius dominans morborum epidemicorum ſcenas transformat.

a) *Reil* l. c. P. II. p. 16.

Atque ita abundans & *accenſa* bilis, ut cum *Swietenio* loquar, toti ſanguinis maſſæ commixta cor ſtimulat, vaſa ad frequentiorem contractionem compellit, & corpus in motus febriles agitat. His præmiſſis, quibus plethoræ bilioſæ ortus, atque nocivi in œconomiam animalem effectus generatim illuſtrantur, ſingularem cacochymiæ hujus ſpeciem, febrim ſcilicet bilioſam, ejus amplitudinem, cauſſas, ſymptomata præcipua formasque varias, decurſum fauſtum & funeſtum, medendique methodum propius nunc conſideremus.

FEBRIS BILIOSÆ AMPLITUDO.

Febris bilioſa non ſolum inter annuas febres princeps habenda eſt, ſeu ægrorum ex hac febre unam decumbentium numerum, ſeu in-

ingentem ſtragem reſpicias, qua omni anno mortalium genus affligit hic morbus. At late etiam per omnem terram diffunditur hæc febris, ut vix mundi plaga ſit, quæ homines a bilioſa febre omnino immunes habeat.

Brevem ſciagraphiam *a*) imperii bilioſi vir celeberrimus *D. Planer*, Medicinæ in academia Erfurdienſi profeſſor delineavit, atque actis academiæ Erfurdienſis inſeruit. Eſt autem ſequens:

a) *Planer* Ueberſicht der Krankheiten in Erfurt von 1781 — 85. Erfurt 1786.

1) Perriculoſa febris bilioſo putridæ ſpecies, ſeu ſic dicta febris flava, ubique intra tropicos dominatur, hinc a primo gradu usque ad 24mum, & pro vario ſitu terrarum, ad 13mum usque verſus ſeptentrionem & meridiem. Æque late & periculoſe graſſantur cholera (Mordeken) & dyſenteriæ bilioſæ in India orientali. *a*)

2) Febres bilioſæ ſæpe peſtifero more in Ægypto omni autumno ad Alexandriam usque ad 26—31° verſus ſeptentrionem graſſantur.

3) *Aleppo* ſub 34° verſus ſeptentrionem febribus continuis, catarrhis, angina & dyſenteria a menſe Julio ad Decembrem usque affligitur.

4)

4) In *Florida*, *Carolina*, *Virginia*, a 30—40° verſus ſeptentrionem, febres bilioſæ, & alvi fluxus obſervantur, advenis præſertim ex Europa funeſtæ. Rariores eæ ipſæ febres ob cœli frigus apud Canadenſes.

a) *Lind* Eſſays on diſeaſes in hat climat.
Hillary Beobachtungen über die Veränderungen der Luft und Krankheiten auf Barbados, p. 172.
Boetius de medicina Indorum. p. 139.
Bayon memoires pour ſervir a l'hiſtoire du Coyerre T. I. p. 29. — 35.
Sloane hyſtor. of Jamaica. Vol. I. p. 132 — 36.
b) *Proſper Alpinus* de Egypt. Med. L. I. Cap. XV.
c) *Ruſſel* narural hiſt. of Aleppo p. 136.
d) *Lind* Eſſay. p. 39 — 37.

5) In urbe Cadix ſub gradu 36 latitudinis verſus ſeptentrionem anno 1746 periculoſa bilioſa febris graſſabatur, ad febrem flavam proxime accedens. *a*)

Madriti verſus 40mum latitudinis gradum ad ſeptentrionem, atque in omni nova Caſtilia febris bilioſa cum vomitu bilioſo atræ materiæ, quinto morbi die lethali, epidemice graſſatur. *b*)

In regno Sardiniæ a 39—41° latitudinis ſeptentrionalis, ob cœli intemperiem jam veteribus notæ, omni anno, a menſe Junio ad Septembrem usque febris bilioſa obſervatur. *c*)

In *Minorka* ſub 39 ° latitudinis ſeptentrionalis, febres bilioſæ ſemiterſianæ omni autumno epidemice graſſantur; eodem tempore cholera quoque frequens &c. *d*)

Neapoli 40 ° latitudinis ſeptentrionalis febres & diarrhaeæ anno 1764 bilioſæ indolis erant. In illa urbis regione, quæ *Molo piccolo* dicitur, febres putridæ, exanthematicæ & eryſipelas ſæpiſſime graſſantur. *e*)

Romæ ſub 42° diatheſis bilioſa ſolemnis; ad Tiberim ferme ſemper bilioſæ febres regnant: *f*)

Mantuæ ſub 46 ° latitudinis ſeptontrionalis Epedemia anni 1690 a *Ramazzino* deſcripta, bilioſa febris fuit, ſæpe unico vomitorio excuſſa. *g*)

a) *Lind* l. c. p. 113.
b) *Joſeph Cuſoni* in Roncalli med. Europ. p. 470.
c) *Lind* l. c. p. 32.
d) *Kleghorn* Beobachtungen über epidemiſche Krankheiten in Minorka. p, 133.
e) *Sarcone* Geſchichte der Krankheiten in Neapel pag 63—64.
f) *Bagliv* Op. Sect. 2. p. 52.
g) *Lanciſi* Opp. T. I. p. 192.
h) *Ramazzini* Opp. p. 145.

6) Ita in *Hungaria* ſub 46—48° maxima pars exercituum germanorum ex febre bilio-

ſo

ſo putrida periit, unde nomen apud Germanos febris Hungaricæ obtinuit.

7) *Viennæ* ſub 49° febres billioſæ remittentes vix non aſſiduo dominantur, & per intervalla tantum diſparent, *a*) quales ferme in tota Germania obſervantur. Epidemia anni 1757 *b*) atque anni 1771—72 *c*) ad hoc febrium genus pertinent. Ejusdem quoque generis fuerunt febres autumnales; quas *Monro d*) in Weſtphalia, *Pringle e*) in Belgio, *Wind f*) Mittelburgi, & *Foreſtus g*) apud Batavos obſervarunt. Conſtitutiones quoque epidemicæ Pariſienſes annorum 1750, 1751, 1756, billioſæ indolis fuere. *h*)

a) *Stoll* Rat. med. P. I. p. 25.
b) *Adverſar. med. pract.* Lips. Vol. P. I. p. 25.
c) *Selle* in præf. ad Brocklesby.
d) Beſchreibung des brittiſchen Feldlazeret in Teuſchland p. 126.
e) *Pringle* Beobachtungen.
f) *Lind* Eſſay. p. 28.
g) *Foreſt* obſervat. med. Lib. II.
h) *Ballonius* Opp. I. p. 4. 20. 125.

8) In *Anglia* ejusdem indolis febres *Sydenham*, *Huxham*, *Brocklesby* & *Biſſet* obſervarunt & deſcripſerunt.

9) In *Polonia* febres cum petechiis, miliaribus, & dyſenteria frequentes admodum ſunt. *a*)

a) *Roncalli* Europ. med. p. 414.

10) Febres, quæ in inſula *Thaſo* ſub 41 ° verſus ſeptentrionem regnabant, & ab *Hippocrate* deſcriptæ ſunt, *a*) ad bilioſas pertinent. *Aſtrachani* 46° verſus ſeptentrionem omni anno poſt terrarum inundationem a *Wolga* fluvio febres putridæ oriuntur. *b*) *Tomski* ſub 56 ° verſus ſeptentrionem febres tum intermittentes, tum etiam putridæ, licet frigidius ſit clima, ob fluminis inundationem & lacuum atque paludum evaporationem epidemice graſſantur. *c*)

In *Islandia* icterus & febres catarrhales ſæpe epidemice obſervantur. *d*)

a) *Hipp.* de morbis vulgaribus.
b) *Falk* Beyträge zur topographiſchen Kenntniſs de ruſſiſchen Reichs. p. 131.
c) Idem l. c. p. 351.
d) *Uno von Troyl.* p. 89.

Ex his ſequentia de imperii bilioſi latitudine conſectaria ducit *celeberrimus Planer*:

1) Intra tropicos, atque in illorum vicinia febres bilioſas ſub tempore pluvioſo, atque etiam mox poſt pluvias apparere. *a*)

2) Extra tropicos autem calidiſſimo anni tempore, atque etiam mox poſt calores. *b*)

a) *Lind* l. c. p. 46.
b) — p. 61—79.

DU-

DUPLEX STADIUM FEBRIS BILIOSÆ.

Omnibus bilioſis febribus id ferme commune eſt, ut diſtinctis ab ſe invicem exacerbationibus incedant, atque formam aut quotidianæ, aut ſimplicis, aut etiam duplicatæ tertianæ præſeferant, quarum quæque exacerbatio evacuatione quadam manifeſta, vomitu ſcilicet, diarrhæa, ſudore, urinis ſolvitur. Atque in toto hujus morbi decurſu duplex *ſtadium* eminet, quorum alterum *cruditatis*, alterum *coctionis* nomen a Pathologis obtinuit.

Quamdiu enim humor biliformis cum ſanguine adhuc oberrat, acritudine ſua & copia cor & arterias ad expulſionem exſtimulat, nulla tamen levans evacuatio contingit, ſed ſymptomatum vehementia aut multitudo continuo increſcit, omniaque a ſtatu ſano quam longiſſime abſunt, morbum in *cruditate* verſari dicimus. Quamprimum autem humor ille bilioſus a natura ſubigitur, cum reliquis corporis humoribus aſſimilatur, atque una cum iis exacerbatione inclinante, e corpore eliminatur, morbo inde leviori facto, affulgenteque rediturae ſanitatis ſpe, morbi *coctio* incipit.

In ſecundo hoc ſtadio potiſſimum ſolet contingere, ut materia morboſa cum humoribus circulantibus ad hepar tendat, atque inde in primas vias evacuata exitum e corpore moliatur, Hæc naturæ molimina *turgeſcentiæ* vocabulo inſigniuntur; atque prout materies ad ventriculum deponitur per vomitum rejicienda, aut in inteſtina depluens alvi fluxu evacuationem molitur, ſurſum aut deorſum *turgere* bilis dicitur. *Turgeſcentiam* autem universim agnoſcimus, ſi magna materiæ quantitas ſimul exitum per has vias moliatur; modica enim per alvum aut vomitum rejectio ſubinde primis morbi temporibus adeſt, absque morbi levamine; deinde hæc naturæ cognomina die critico inſtare aſſolent, atque præeuntibus ſignis coctionis in urina præſertim conſpicuis; criticas tandem has evacuationes, ſi bilioſa febris continua remittens ſit, omnium exacerbationum vehementiſſima ſolet præcedere, quæ, cum ſummum morbidam materiem inter & naturæ medicatricis vires certamen exhibeat, *perturbatio critica* a medicis eſt appellata. Signa autem, quibus innoteſcit materiem aut *ſurſum* aut *deorſum* turgere, tunc enumerabimus, cum de methodo evacuante, quam turgeſcentiæ ſtadium ſibi poſcit, ſermo erit. Cauſſas nunc videamus, quæ po-

ly-

lycholiam febrilem aut invitant, aut excitant,

CAUSSÆ FEBRIS BILIOSÆ.

Ipſa victus ratio ad bilioſos morbos corpora diſponit; id præprimis de victu oleoſo atque pinqui valet. Ita *græci moderni* ob vitæ genus peculiare, omnesque illi populi, quorum vel religio, vel vivendi conſuetudo ea eſt, ut oleo & pinguibus multum veſcantur, in diathesin hanc bilioſam, in morbos bilioſos, abdominalium viſcerum obſtructiones, in morbum hypochondriacum cum materie incidunt. *a*) Britannos a bilioſis febribus frequentius affici *Grantius b*) adfirmat, atque largiorem carnium pinquium atque butyri uſum horum malorum cauſſam accuſat. Victus etiam auſterus, farinaceus, viſcera abdominalia obſtruendo, atque functiones hepatis turbando ad polycholiam febrilem corpora inclinat. Ita quoque copioſior carnium uſus, perditis frigore oleribus, inter cauſſas Epidemiæ Lauſannenſis refertur. *c*) A carnis ingluvie *Magnificus Quarinius* frequentiores *Vindobonenſium* febres putridas derivat. *d*)

a) *Stoll* Rat. T. IV.

 b)

b) *Grant* von den Fiebern. p. 351.
c) *Tiſſot* Hiſt. Epid. bilioſæ.
d) de febribus.

Aër etiam ad bilioſas febres homines diſponit, ſi is humidus ſimulque fervidus, aut frigidus eſt. Hinc epidemicæ nonnullarum regionum bilioſæ febres,

At id quoque notandum, eſſe homines, qui diſpoſitionem bilioſam a natura nacti ſunt. His animus irritabilis, moroſus, triſtis, delicatius univerſim nervorum ſyſtema, & multiplex affectio hypochondriaca. Nec infrequens eſt videre parentes bilioſos proles pariter bilioſas genuiſſe. Hos *temperamentum bilioſum* ſortitos eſſe dicimus. Veteres eos Πικροχωλυς appellarunt. Alii ob morbos bilioſos non exacte curatos diſpoſitionem bilioſam, quam hæreditario quidam non habent, ſibi primum contraxere, vix ulla ratione tollendam, ut toto reliquo vitæ tempore *adſcititio hoc temperamento* bilioſo utantur,

Inter *cauſſas excitantes* febrium bilioſarum recenſendus eſt labor nimius, ardente præſertim ſyrio. Hinc morbi bilioſi hominum, qui Batavorum & Friſiæ orientalis rura colentes, intenſis omnibus nervis uberrimas conficiunt meſſes. Reportant, inquit *Finke*, Queſt-

pha-

phali, qui circa meſſem Hollandiam petunt, cum nummis ſemina mille malorum.

Alia quoque origo eſt hujus bilioſæ colluviei a perſpirabili ſanctoriano retropreſſo. Hinc eſt, quod, qui per æſtatem interdiu multum ſudant, veſperi itemque mane, aut noctu perfrigerantur, colluviei huic bilioſæ morbisque inde oriri ſolitis, præ reliquis laborant. Hæc præ omnibus aliis evidentior ratio eſt, quare febres bilioſæ æſtatem adultam, itemque autumnum, quovis ferme anno magis minusve infeſtent, ac morborum bilioſorum ferax præ reliquis hoc anni tempus ſit. Frequenter ab hauſtu frigidæ ſudante corpore febris bilioſa excitatur.

Huc etiam pertinent animi pathemata, quæ corpus febrili quaſi impetu concutiunt, terror præcipue atque ira. Sed & longus animi mœror functiones hepatis turbando bilioſos morbos progignit.

Febres vulnerarias in bilioſam febrem tranſire, regnante ſcilicet bilioſa febre, multorum medicorum obſervationibus conſtat. *a*) Item lapſu ex alto bilioſæ febres excitatæ leguntur. Univerſim febris quæcumque alia, a cauſſa ſporadica corpus invadens, excitans bilioſæ febris cauſſa evadit.

a) *Stoll* Rat. med. P. II.

Etſi tam magnus ſit cauſſarum occaſionalium numerus, ut quamlibet ſeorſim exponere ſupervacuam operam eſſe exiſtimem, omnes tamen, quotquot ſunt, quadruplici modo operantur. Vel reſorptionem ex inteſtinis augent, quin bilis ſe & excretio ſimul augeatur; vel ſe & excretionem diminuunt, quin reſorptio ſimul diminuatur; celerius ingruit polycholia, ſi motu excretoriorum organorum languente reſorptio augeatur; denique in ipſo ſanguine nimis copioſe evolvi poſſunt elementa bilis a)

a) *Celeber. Reil* de Polycholia P. I. p. 67.

SYMPTOMATA FEBRIS BILIOSÆ.

Symptomata nunc recenſemus potiora, quæ febrim bilioſam, ſi ſimplex fuerit, comitari ſolent.

Ab horripilatione & calore alterno plerumque orditur; communia iis febribus, ubi primæ viæ cruditate laborant, ſymptomata; quale etiam in ſtatu non febrili, ab aſſumpto emetico ſolet ſentiri.

Capitis affectio peculiaris obſervatur in morbis bilioſis. Dolor capitis in hoc morbo

eſt

eſt lancinans, diſtrahens, ſævior ac is, qui a nimia ſanguinis copia, orgasmo, aut inflammatione oritur. Sæpius afficit verticem capitis, occiput, tempora. Lenimen videtur habere, ſi caput arcte manibus comprimatur, ſi, uti inter ruſticos moris eſt, fune arcte ligetur; ſi oxyrhodina, aceta varia frigide ad frontem applicentur. Per intervalla aut redit, aut coacerbatur; hæc intervalla ſubinde certa ſunt, ſubinde incerta. Non raro alterutram tantum cranii partem affligit; pleræque hemicraniæ a vitio ventriculi ſunt; multi hemicraniam toties patiuntur, quoties ventriculi repletione rancida, rancido acida, bilioſa laborant. Dolor hic venæ ſectione increſcit, purgantibus vero ſalinis per epicraſin datis ſubinde levatur, emetico tollitur. Hic ille dolor eſt, quem alvo fluente curari veteres dicebant. Dolor tandem hic bilioſus alia ſecum habet ſymptomata, mox recenſenda, quibus de bilioſa capitis affectione certiores reddimur. Caput inſuper in his ægris vehementer æſtuat.

Dorſi & lumborum dolores in morbis a bile flava frequentiſſime obſervantur.

Pulſus, in febris ſaltem initio, a ſanorum pulſu parum alienus, morbi autem progreſſu acceleratus; non tamen, ut in phlogiſtico mor-

bo duritiem, ſed undoſam potius mollitiem refert.

Oculi ſubinde rubri, ſcintillantes, plerumque autem dilutiſſime flaveſcentes.

Totum corpus, facies præcipue, ſudore diffluit. Attamen id verum eſt, monente *Grantio*, ſudoris copiam a regime ægrorum calefaciente potiſſimum pendere. Abuſu enim calefacientium ſudor exprimitur morbum omnino non levans; atque ſi id mox in initio contingat, materiæ bilioſæ metaſtaſes ad caput pulmones &c. oriuntur; quo facto ſudor penitus ceſſat, & corpus totum ſiccum redditur, omine peſſimo.

Facies flaveſcit. A pinnis narium ad utramque commiſſuram flaviſſimus tractus. Dato emetico pallor loco flavedinis.

Lingua flaveſcentibus quaſi villis obducta.

Frequens eſt in billioſis febribus ſalivæ fluxus; is autem varius obſervatur; modo omnino inſipida; modo amara, dulceſcens ſaliva affluit, ſubinde herbidam indolem ſapit.

Sapor etiam amarus, nauſeoſus ægros torquet; gluten acre ſcreatu ejicitur. Univerſim varia acredo humoris bilioſi datur, quæ ructus, vomituritiones, vomitus &c. excitat.

Se-

Sequentes autem hujus acrimoniæ ſpecies deprehenduntur. a) Primo acida, cum tanta abundat in ſanguine acida acrimonia, quanta oleoſis particulis non ſatis obvoluta ad hepar ruit; dein alcalina, cum ſalia alcalina prædominantur; putrida, cum gelatinoſæ & viſcidæ bilis partes motum inteſtinum ſuſceperint; & rancida denique, cum oleoſa bilis pars conſtitutiva naturale ſuum acidum non ſatis involvit. Quævis prædominans acredo medici attentionem, & ſingulares quasdam circa medelam cautelas deſiderat.

a) *Reil* l. c. P. II. p. 22.

Rancida in oleoſa ſucci biliarii parte nidulante ex cibis pinguibus & oleoſis, vel rancidis ante aſſumptionem, vel male digeſtis, ex copioſa & empyreumatica aſſatæ carnis adipe, ex pure incluſo reſorpto, ortum ducit. Eadem naſcitur in obeſis corporibus cum calore aucto ex febre acuta, remediis amaris calidis, ſeu alia corporis exæſtuatione, pinguedo ſoluta, attenuata ſanguini miſceatur, & rapido humorum motu per momenta majorem aſſumat rancorem. Cognita ſubjecti prægreſſa conditione facillime ſe prodit urina rubra, ſpumeſcente, ſaponacea, & ſudore pingui.

 Fre-

Frequentiores vero, quas in polycholia deprehendimus acrimoniarum ſpecies, ſunt acida & putrida.

Acida ſucci biliarii acrimonia, quæ ſolida ſtringit, fluida coagulat, & vires vitales inertes reddit, naſcitur, cum acidum, quod naturaliter in bile eſt, ita abundat, ne oleoſa illius pars acidi vires ſatis involvere & obtundere queat. Satis diſtincte probatur, quod hocce acidum jam ante bilis in inteſtina effuſionem cum illa junctum fuerit, quia ſatis magna quantitate ejicitur, ſuas vires ab emetico dato præcipue fractas ſentiat, & ductus biliferi veſiculaque fellea tunc temporis viridiſſima materia inveniuntur referta. Multas epidemias, quæ hanc bilioſam acrimoniam pro cauſſa materiali habuerunt, diligentes morborum bilioſorum obſervatores accurate deſcripſere. *Stollius a*) aliique, ructus acidiſſimos quæſti, materiam acido auſteram, ac dentes ſtupefacientem vomitu rejiciebant. Saburram & ſapore & odore acidiſſimam, auſteram, fauces exurentem colore viridiſſimam in Hungaria, cum adulta æſtate febres bilioſæ graſſarentur, ſæpiſſime vidit. Æruginoſus, porraceus, praſinus bilis eructatæ color, fœces virideſcentes, dentes e vomitu ſtupefacti, rauca in œſophago ſenſatio,

&

& habitus corporis pallidus, acidam hanc polycholiæ naturam produnt. Evomita materia in terram ejecta, aquæ fortis inſtar ebullit. Exiſtere amat poſt abuſum fructuum immaturorum, & vini auſteri, in hominibus præcipue delibioribus, qui vim vivam inertem, & menſtrua inquilina fatua, acidum ſub digeſtione non ſatis ſubigentia habent. Denique ex effectu poſtea cognoſcitur, quia ſuccus biliarius acidus præcipue in atram bilem transire amat.

a) *Stoll* Rat. med. T. I. p. 46.

Acrimonia polycholiæ putrida, quæ præcipue lymphatica & glutinoſa ſucci biliarii parte nidulatur, ex ructibus nidoroſis, ova putrida redolentibus, flatibus & ſedibus putridum ſpirantibus, nauſea, vomitu, ſiti multa, ex horrore & averſatione ab omni præcipue animali victu, aquoſæ & acidæ diætæ deſiderio cognoſcitur. Prægreſſum victum carnium copioſum, æſtivum tempus, calorem, laborem & corporis exercitationem ſub ſole fervidam, excipere ſolet. Putridus biliarius ſuccus, omnium maxime tenuis volatilisque vim irritabilem muſculoſarum partium ſtimulat, vibrationes, ſpasmos, contractiones producit, nec eam, niſi mediate, debi-

bilitat, dum nervoſam ſenſibilitatem narcotici inſtar obtundit. Hæcce polycholia putrida, cum in corpore veniat diſpoſito, laxiori, vel magna quantitate exiſtat, in putridos per eminentiam morbos favente genio epidemico degenerat. Putreſcentes enim hæ particulæ per ſanguinem diſtributæ, lympham ſanguinis coagulabilem, & gelatinoſam rubrorum globulorum compagem ſibi aſſimulabunt, eademque peſte inficient. Solutam ſanguinis craſim debilitas, ſymptomata colliquativa ſequuntur, & ex acrimonia ſtimulante nervoſæ affectiones exiſtunt. Globuli rubri ſanguinis legitimum amittunt nexum, putridæ, gangrenoſæ ſuboriuntur ſolutiones, & in cruore miſſo placenta eſt mollior, ſerum rubelli coloris.

Ingens perſæpe in his ægris circa præcordia anxietas obſervatur, ut veluti deſperabundi ſibi ipſis vim inferant, cujus exemplum *Finkius* l. c. narrat.

Subinde ipſa natura medendi viam præmonſtrat, dum ægri aquæ frigidæ, & auræ frigiduſculæ deſiderio flagrant. Ruſtici in Hungaria ſæpe ſolo copioſiori frigidæ aquæ uſu,& aura frigidiori bilioſas febres abigunt *a*); atque non raro ægri ex bilioſa febre deliri,

cum

cum in aura liberiori ad noſocomium deportarentur, mentis compotes ibi advenerunt. a)

a) *Stoll* Rat. med. P. IV.
Idem l. c.

Sudor, urina, alvus flavent, nidoroſum, olidiſſimum odorem ſpirant; urinæ præſertim mox in initio flavæ, croceæ, atque chartam flavo colore tingentes.

Sanguis e vena miſſus, ſerum exhibet, virido flaveſcens, & ſi forte is ſanguis cruſta pleuritica tectus eſt, quod in febris bilioſæ cum inflammatoria connubio contingit, hæc ipſa cruſta flaveſcit.

Ad ſymptomata in febribus bilioſis paulo rarius obvia, pertinent exanthemata varia, præſertim petechiæ; unde factum eſt, ut febris petechialis a quibusdam medicis tanquam peculiare febrium genus deſcriptum ſit; etiam miliaria rubra in febribus bilioſis frequentius, quam in aliis febribus apparent. Imo bilioſa quondam conſtitutione late dominante, carbunculos obſervavit *Stollius* a); ſi id ultimo vitæ ſuæ tempore contigiſſet, *peſtis ante portas*, certo clamitaſſet medicorum plebs.

a) *Stoll* Rat. med. P. II.

Hæc

Hæc ſunt potiora ſymptomata, quæ in febrium bilioſarum decurſu obſervari ſolent. At id cum *celeberrimo Vogel a*) monendum eſt, ne quis exiſtimet, omnia hæc ſymptomata eodem ſemper modo ac ordine, quo hic deſcripta ſunt, ſibi invicem ſuccedere. In ſingulis enim ferme ægris febris hujus decurſus ſingulares exhibet varietates, quin tamen ipſa febris bilioſæ cognitio aut curatio inſignem inde mutationem ſubeat.

a) *Vogel* Med. Handbuch T. I. p. 323.

INDOLES PARASITICA ET VARIATIONES FEBRIS BILIOSÆ.

Communiſſimum eſſe febris bilioſæ cum aliis morbis febrilibus atque non febrilibus conſortium, ſupra monui. Quod, cum ſit, multa incommoda ab hoc conſortio oriuntur; febris enim hæc, ſi nempe cum alia febre ſocietatem init febris bilioſa, tramite jam non ſuo decurrit, ſed modo in hanc illamve partem a ſocio trahitur. Videmus id præprimis in varioloſo morbo, qui ab conjuncta febre bilioſa exlex redditur. Contingit hoc maxime ob diſparem febris naturam. Illa enim febris, quæ a miasmate varioloſo progignitur,

ſi-

ſibi ſoli relicta ad inflammatoriam febrem *proxime* accedit, & parvulis abſceſſibus ad cutis ſuperficiem oriundis *quaſi* judicatur; accedente autem bilioſo vitio, priori inflammanti ſtimulo novus jungitur, unde ob unitam utriusque irritamenti vim diverſa variolarum ſtadia mire turbantur, atque medendi etiam methodus multis difficultatibus premitur.

Maxime commune febris bilioſæ exemplar hucusque eſt propoſitum. At variæ hujus febris formæ obſervantur, quin tamen ideo minus ad bilioſas febres pertineant.

Subinde enim ante febris bilioſæ initium aliquid ſaburræ jam *præexiſtit* in ventriculo.

Subinde fiunt criſes *partiales*, *ſucceſſivæ*, ita ut primum & ſecundum ſtadium confundantur. Tunc autem pars ſubactæ materiæ evacuatur ex ſanguine, pars altera remanet.

Nonnunquam febris bilioſa non ex integro judicatur, vel culpa medici, vel ob peculiarem illius anni conſtitutionem, *fiuntque recidivæ.* Vidit *Stollius* quondam per æſtatem poſt bilioſas, licet bene curatas, relapſus multos.

Subinde *acris bilis* ſimul inflammationem facit, fitque *ardens* febris.

Non-

Nonnunquam cito corrumpit maſſam humorum, fitque putrida, bilioſo putrida; ut poſtea videbimus.

FEBRIS BILIOSA SIMPLEX ET CUM METASTASI.

Hic ſolet eſſe febris bilioſæ decurſus, ſi materiæ biliformis e corpore eliminatio nullo modo impeditur, neque ulla corporis pars ab hac peccante materia peculiariter graviterque adficitur. Frequenter enim impedimenta in corpore aut præexiſtunt, aut in ipſo morbi decurſu accedunt, quo minus ſeparatio morboſorum humorum a ſanis cito, & viis congruis perficiatur.

Si enim nimia copia atque turgor bilis in ſanguine adſit, materia exitum e corpore moliens ſibi ipſi vias præcludit, atque hoc exitu negato in vicinas partes ruit. Idem contingit in hominibus ſumma irritabilitate præditis, omnibusque ſpasmorum generibus obnoxiis. Frequentiſſime autem metaſtaſis partem præ ceteris debilem occupat. Magnum quoque impedimentum ab obſtructis organis bilis ſecretioni inſervientibus ponitur. Hæ ſunt notiſſimæ metaſtaſium cauſſæ; nam & alias

ex-

exiſtere cauſſas, nobis hucusque incognitas, ex adcurata febrium epidemicarum obſervatione conſtat: rationem enim, cur in hac epidemia materies caput, alia vice pectus aut cutis ſuperficiem petat; haud poſſumus explicare.

Pro diverſitate itaque partium, in quas materies hæc biliformis ob recenſita impedimenta impingit, febris bilioſæ cum decumbitu variæ ſpecies habentur. Vix ulla corporis humani nobilis ignobilisve pars eſt, in quam non materiam biliformem incubuiſſe a medicis obſervatum ſit. Quædam metaſtaſium exempla videamus.

Ad cerebrum & nervos delata hæc materia apoplexiam, paralyſes, epilepſiam, ophthalmias, verbo, multifarias ſenſuum læſiones producit.

Frequens eſt bilis ad thoracem decubitus, unde perineumoniæ & pleuritides bilioſæ oriuntur; qui morbi cum ob difficiliorem diagnoſin, tum ob methodum curandi a cura pleuritidis inflammatoriæ diverſam, peculiarem omnino medicorum attentionem merentur.

Medicus, cui ejusmodi morbus curandus obtingit, multoties diu ſecum ipſe in omnem partem diſputat, ad quamnam pleuritidis claſ-

ſem præſens morbus pertineat, cum gravem ex commiſſo in diagnoſi errore noxam ſequi neceſſe ſit. Diagnoſin ergo pleuritidis bilioſæ bonam ſecuramque ut inſtituat, ſequentia erunt conſideranda: 1) Quænam eo tempore epidemia regnet; equidem difficile id perſæpe accidit, niſi cui quam plurimi ægri curandi obveniunt. Hinc epidemiæ, earum augmentum, ſtatus, decrementum quam optime manifeſta fiunt in copioſiori plebis ægrotantis concurſu. 2) Ut in diagnoſi pleuritidis vel peripneumoniæ bilioſæ non erres, ſymptomata ſupra recenſita in morbis hiſce bilioſis thoracis probe oportet memoriæ infixa habere. 3) Multa docet præcedens valetudinis ſtatus. Pleuritis vera, inflammatoria plerumque validiſſimos & inopinantes aggreditur; pleuritis vero ſpuria, bilioſa lente progreditur, & a dejecto appetitu, ſignisque primas vias affectas denotantibus, longe antea tempore ſeſe monſtrat. 4) Frequentior in iis hic morbus deprehenditur, qui victu crudo, uti plebs infima ſolet, utuntur, qui ventriculo alias debili & imbecilli ſunt, quive nacti ſunt a natura temperamentum bilioſum. 5) Ad diagnoſin ſecurius inſtituendam facit hæc quoque obſervatio, quod dolor in pleuritide & peripneumonia hac ſpuria bilioſa,

ſa inter tuſſiendum reſpirandumque raro augeatur; cum e contrario, qui vera pulmonum inflammatione laborant, non tuſſiant, non reſpirent absque inſigni pectoris incommodo. Præterea tuſſis raro cruenta eſt in bilioſa pleuritide, niſi illa valida ſit, ut ipſo tuſſiendi conatu aliquid ſeri exprimatur. 6) In ſpuria pleuritide ſcrobiculus, hypochondria, abdomen, & lumbi maxime afficiuntur; non autem æque in vera. 7) Alvus diarrhæica, bilioſa, longo ante morbum tempore non raro obſervatur; ſecus in vera pleuritide, niſi per accidens id fiat. 8) Urina non ruffa, ſed flava, vitellinum colorem referens, bilioſa ſæpe, cum ſedimento aut mucoſo aut lateritio, vel ante morbum, vel & ipſo pleuritidis bilioſæ exordio obſervatur; in vera autem pulmonum inflammatione urina ruffa, parca, absque ſedimento eſt. 9) Febris pleuritidi veræ juncta *continua* eſt, cum levi utplurimum ad veſperam intenſione, absque intermixtis horripilationibus; at vero febris pleuritidi bilioſæ juncta ex familia *continuarum remittentium eſſe* ſolet; ubi aut ſtato tempore, aut etiam per intervalla exacerbationes redeunt, ſive id quotidie, ſive omni tertio, quarto die, ſive etiam eodem die ſæpius contingat. 10) Pulſus in vera pleuri-

ritide fortis durusque eſt, & ut *Petrus Foreſtus* ait, tactum ferit, at in exquiſita, non complicata mollis eſt, & varia in variis celeritate.

Perpenſis hiſce conſideranda quædam ſymptomata ſunt, quæ utrique pleuritidi, tum veræ, tum & ſpuriæ bilioſæque ex æquo conveniunt, quæve ob eam rationem penitius cognoſcenda, atque memoriæ infigenda ſunt, quod lethali cum eventu medentem ſæpe numero in errorem inducant. Ea fere ſequentia ſunt: 1) Oris amaror. Oris amarorem in bilioſis fere ſemper obſervamus, non tamen ita, ut abeſſe non poſſit, magna licet colluvie cruda bilioſa primas vias occupante. Verum ſubinde in iis, qui bilioſo vitio non laborant, atque in *vera pulmonum inflammatione* oris amaror deprehenditur. Hinc ſerio monendum eſt, ne quis nimia præcipitata concluſione ex ſolo fere hoc oris amarore prædominantem billioſam colluviem adeſſe ſtatuat, & funeſtam ægro medicinam faciat. *Secundum* ſymptoma ſæpe anceps & utrique morbo commune eſt, vomituritio vomitusque. Etenim non infrequenter accidit, ut pulmo vera inflammatione tentatus, proximum diaphragma, ventriculum & œſophagum in conſenſum trahat, ac vomendi deſi-

de-

derium, & ipſum adeo vomitum moveat. Hinc, quemadmodum a cauſſa idiopathica in ipſo ventriculo exiſtente, vomituritio & vomitus fieri queunt, ita & ventriculus ſympathice nonnunquam afficitur. 3) Ipſa bilis hoc vomitu ſponte excitato rejecta necdum ſufficit, ut de pleuritide bilioſa concludam, ſi cetera reclament; in omni enim propemodum vomitu, præcipue paulo vehementiori, bilis in inteſtina & ventriculum exprimitur, vomituqne rejicitur; idque etiam in homine cæteroquin ſaniſſimo accidit. Quartum ſymptoma fallax ſæpe eſt, rubor faciei genarumque, qui tamen in vera pleuritide frequentius, quam in ſpuria bilioſaque obſervatur. Eum obſervari in inflammatione pulmonum vera facile captu eſt, nec ulteriori explicatione indiget. Verum certa eſt obſervatio *Ballonii*, ſæpius apud ægros noſtros confirmata, eos videlicet, quorum ventriculum & inteſtina crudus apparatus obſidet, ſubinde pallere quidem vireſcereque, perſæpe tamen ſummopere rubore ſuffuſos eſſe, ita, ut & album oculorum rubeat. Eſt quoque *Hippocratis* ipſius obſervatio, eos, qui facie rubent, aut ſanguineos plethoricosque eſſe, aut, quod huc pertinet, abdomen habere ſtercoribus, ut ait, vetuſtis obſeſſum. Sed neque gena-

rum pallor & vireſcens faciei color uni ſolummodo bilioſæ pleuritidi convenit, etenim permulti ſunt, quorum pulmones vera diraque inflammatio tenet, etſi vultu ſint pallido, oculis ſemiictericis, corporisque totius eo colore, quem Græci non explicando alias vocabulo χλωρον appellavere, ac ſi diceres, ex pallido vireſcentem. Serum enim phlogiſticum, quod cruſtam in patella phlogiſticam flaveſcentem exhibet, ægros ſæpe hoc flavo viridi colore tingit. Hinc cavendum, ne in diagnoſi nos color faciei ſeducat. Quintum ſymptoma in utraque pleuritide, tum vera, quam ſpuria obſervari non raro ſolitum, ſputum cruentum eſt; etſi id frequentius pleuritidem & peripneumoniam veram comitetur. Verum ſi in ſpuria pleuritide tuſſis aſſidua validaque thoracem quatiat, ſi præterea vaſa pulmonum ex prædiſpoſitione quadam ſint paulo debilia laxioraque & ipſo validiori tuſſiendi conatu ſanguinis, quid ex ruptis vaſculis, ea prorſus ratione, qua in tuſſi puerorum ſtomachica vehemens in tuſſiendo motus ſanguinem per os & nares ſubinde copioſe exprimit.

Vidimus hucusque, quibus notis in caſu dubio medicus uti debeat, ut morbum pectoris ſpurium bilioſumque ab inflammatorio, pleuritidem bilioſam a vera & phogiſtica ſecu-

corius diſtinguat. Dictum præterea eſt, quantum interſit, ut in hac diagnoſi error vitetur. Verum nonnunquam adeo abſtruſa mali cauſſa, atque adeo complicata ſymptomata ſunt, ut tot argumenta pro ſpuria pleuritide, quam pro vera pugnent. Hoc rerum ſtatu, dum medicus, quam partem, quodve conſilium arripere debeat, dubius fluctuat, gravis quæſtio naſcitur, quid eundem moliri, aut potius non moliri oporteat. In his anguſtiis medici officio, quod parens medicinæ binis vocabulis ωφελεειν η μη βλαπτειν (prodeſſe, aut ſi id nequeat, non nocere) totum circumſcripſit, is probe defungetur, qui alteram ejus partem μη βλατειν expleverit. Pauca certe utrique morbo ex æquo conveniunt, eaque ſunt, 1) Potus copioſus cum melle, aceto, pauco ſale quodam. 2) Frequens clyſterum uſus, ut inteſtina a præſente fors cacochylia liberentur. 3) Mora ipſa morbum deteget, evolvetque. 4) Exigua venæ ſectio ad uncias quatuor vel ſex utrique non raro convenit, & bilioſis venæ ſectio ſubinde eatenus prodeſt, quatenus ſpatium majus in ſyſtemate venoſo & arterioſo efficitur, præcipue ubi febris bilioſa valida eſt, ita ut mali quid ab ipſo hoc motu auctiore timeas. Conditio ſanguinis detracti,

levamen aut nullum aut momentaneum, morbo poſthac aut mitius aut gravius afficiente, aliquid fortaſſe ſuggeret, unde novam poſſis indicationem venari. Juvat potius hac indirecta quidem, & incompleta, quam nulla aut ancipiti methodo uti.

Luculentum pleuritidis bilioſæ exemplum *Guidetus* nobis tradidit, in quo difficultatem diagnoſeos, & periculum ab antiphogiſtica methodo clare intuemur: „ Anno 1709 menſibus Februario & Martio, quos præceſſerat algida Januarii conſtitutio, ad plagas usque maritimas propagata, truculenta pleuritidum ſoboles inter alias minus pernicioſas graſſabatur; eundem morbum, eadem ipſa tempeſtate per Italiam, aliasve regiones diffuſum eſſe accepimus. Ad iſtarum curationem venæ ſectio, ut mos eſt, repetita quibusdam valde proficua, nonnullis inutilis, pluribus pernicioſa obſervabatur; ita quoque extractus ſanguis, poſtquam concreverat, tenaci & pallido glutine velabatur, puris colorem emulante, quemadmodum in legitima pleuritide; atque iſti pleuritici dolorem in alterutro latere, præſertim ſiniſtro magis fixum, magisque acutum percipiebant cum duritie pulſantis arteriæ, tuſſi, ſputo cruento, & febri acuta, pariterque remedia vulga-

garia antipleuritica, paregorica, becchica, & venæ ſectionem, ut ſupra dicebamus, cum levamine tolerabant.

Quibus vero phlebotomia neque proderat, neque nocebat, eductus in iſtis ſanguis concretam æqualiter & promiſcuam denſitatem ſine expreſſione ſeri aſſervabat; lateris dolores magis obtuſi, ſtrepentes tuſſes cum catarrhali ſputo, difficili anhelitu, potiſſimum ſub veſperam augebantur, cum reliquis ſymptomatibus, quæ notham, ſive catarrhalem pleuritidem ſignificabant; hac tamen morbi ſpecie perpauci, ſenes ut plurimum, aut phlegmatici homines afficiebantur, qui remediis incidentibus, oleoſis, pectoralibus calide adhibitis ſanabantur.

Ægroti demum in tertia claſſe conſtituti, quorum major erat numerus, poſt ſanguinis miſſionem in deterius præcipites ruebant. Eorundem ſanguis tum & primo, tum & ſecundo eductus, eleganter rubellus remanebat; dolores erant vagi, tuſſes ſiccæ & moleſtæ, vel cum pauco ſputo ſeroſo, vel ſubflavo aut ſubcruento & ſpumoſo, quod niſi per fortem tuſſiendi conatum haudquaquam ejiciebatur; pulſus valde celeres & frequentes, intenſus calor, genarum color roſeus, anxietas vehemens, ſitis permoleſta, & ja-

 cta-

ctationes aſſiduæ; quodque peſſimum erat, hujus claſſis pleuritici diem quintum non ſuperabant, erantque omnino ſupervacanea quælibet antipleuritica remedia, tam interna, quam externa, mortem nihil prorſus remorantia. Qui ſine *phlebotomia* curabantur, ad ſeptimum, nonum, ad ſummum undecimum morbi diem protrahebantur, ſed itidem interibant. Hac pleuritidis ſpecie tenebantur corpora utriusque ſexus *picbrochola*, & in florida ætate conſtituta.

Ægrotantium internecione perculſus ſeniorum adhibui conſilium; veterum monumenta, & epidemicas traditiones quæritabam. Cum autem a brumali algore cutis poros arctante, mox auſtro ſuccedente, qui eosdem laxabat, humoresque ſolvebat, *pro cartarctica* cauſſa deſumenda foret, pro comperto habui, unumquodque corpus pro ratione temperamenti, & internarum diſpoſitionum *ſtaſi* correptum iri, vel *phlegmonode*, vel *catarrhali*, vel *eryſipelatode*, cujus poſtremæ naturam profecto referebant truculentæ pleuritides tertii ordinis ſupra deſcriptæ, quales obſervavit *Ballonius*, qui hæc refert *a*): *Anno* 1571 *pleuritides erant eryſipelatodes; hyems præceſſerat aſperrima, excepta ab auſtrimo, pluvioque tempore ineunte vere; inde rheumata innumera,*

&

& cum tempus vernaret, tepidiuſculum fieret, repentini laterum dolores oboriebantur: in doloribus hujusmodi ſectio venæ non profuit; ac quærebant, num aliud eſſet remedium, præter iſtud ſolemme, quod primum ducitur in pleuritide; nam innumeri fato eripiebantur, quibus ſecta fuit vena. Ad amuſſim hic auctor pleuritidem deſcribit, de qua hic agitur, opportunam vero curationem non tradit.

a) L. I. Epidem.

Quum itaque ad ægros accerſebar, ſingula ſymptomata unamquamque ſpeciem diſcriminantia perpendebam; quodſi indicia forent æquivoca, unicam *phlebotomiam* explorandi cauſſa, de brachii vena ad aliquot ſanguinis uncias imperabam: ſi vero adeſſent memorata ſigna, quæ bilioſam, ſive eryſipelatodem ægritudinem indicarent, interdicta ulteriori venæ ſectione, clyſteres emollientes, & detergentes primo ſuadebam, quippe vomitum ciere non ſtatim audebam, cum de febrili ſimul, & phlogiſtico morbo in juvenibus ageretur, præſertim, ſi nulla adhuc ſanguinis depletio facta eſſet: illi vero, in quibus exploratrix *phlebotomia* præceſſerat, cum facilem mihi ſignificarent ad vomendum proclivitatem, his magno cum fructu emeticam

cam potionem ex unciis ji aquæ benedictæ Rol. cum drachm. VI. oximel ſimpl. & unciis IV. cujusdam aquæ exhiberi jubebam; deinceps ad ſambucina, nitrata, & camphorata ſubſidia transibam: e. gr. Rec. roob. ſambuc. drachm. unam, ſalis prunellæ drach. ß, camphoræ grana V. hoc bis in die ſumebant ægroti horis duabus ante cibum. Frequenter per diem & noctem hauſtus tepentes ex coctionibus rad. cichor. altheæ, ſcorzon, ſcabioſæ. fl. papav, rhacad., & nitro propinabantur. In plethoricis ſaphena tundebatur; in omnibus laudati clyſteres interdiu repetebantur, & nocturnis horis emulſiones deſcriptas, additis aliquando tincturæ anodynæ Horſtii, vel laudani liquidi *Sydenhami* guttis aliquot. Quarto morbi die (jam enim morbus dabat inducias) exhibebam lene catharticum ex caſſiæ diluto; præcipue ægrotis fervidiore temperamento præditis; vel ex mannæ diſſolutione in aqua hordei aliquantum nitrata, ſcilicet iis, quorum minus calida erat viſcerum, & ſanguinis conſtitutio.

Tantum, ac tam præſens ab hujusmodi remediorum uſu accedebat levamen, ut etiam adſtantibus admirandum videretur. Ad tuſſim ſiccam, & gutturis ſtimulos compeſcen-

dos

dos ſingulare bechium erat oleum ſeminis lini cum pari quantitate olei amygdalarum dulcium, cum ſalis prunellæ modico, granis aliquot camphoræ, & oximellis. Hoc eclegmate, quantumvis injucundo, ægri libenter utebantur, quippe qui ab eo ſenſibile levamentum percipiebant. In quibusdam plethoricis febribus vigebat adeo perennis cum univerſali æſtuatione, & phrenitidis periculo, ut præter expoſitam remediorum normam, quinto, vel etiam ſexto morbi die non dubitaverim ſaphenæ ſectionem præcipere, vel iterandam, ubi peracta jam antea fuiſſet; tametſi prænotatum ſit, perniciofam phlebotomiam fuiſſe in hac pleuritidis ſpecie; diſtinquenda enim ſunt morbi tempora, in quibus ſcilicet humorum ſtatio ſit, vel motus. In morbi initio, cum bilioſus humor, nulla adhuc parata ad ejus excretionem via, vel nullo inducto opportunis auxiliis freno, in ſecretoriis ductibus hæret, vel turget, tunc iterata phlebotomia nocere ſolet, quia bilis conceſſo in ſanguineis vaſis ſpatio, & adaucto per acutam febrim motu in circulum, vel exotica rapitur, partemque jam affectam, vel caput invadit cum imminente ſtagnationis periculo. Si vero bilioſa colluvies, & pravitas partim imminuta medicamentis, partim

emen-

emendata fuerit; interim vero phlogiſticus ſanguinis ſtatus, ejusque citatior motus cohibendi ſunt, tunc profecto venæ ſectio prodeſſe plurimum poteſt.

Porro hac methodo conſtanter ſervata humorum irruptiones ſedabantur, motusque inordinati componebantur; neque agendum mihi aliud ſupererat, quam victus rationem dirigere, & continuato diluentium uſu vias diſponere ad blandum catharticum opportune exhibendum, quod curationem abſolveret. *a*)"

a) *Joh. Th. Quideti* Diſſ. de feb. bilios. & de pleurit. bilioſ. Edit. nova Lauſannæ. 1788.

Varia depoſitionum bilioſarum exempla, unde diverſi externa facie morbi *bilioſorum* nomine inſigniuntur, apud obſervatores medicos paſſim leguntur. *a*)

a) *Stoll* Ratio med. T. II.
Fink de morbis anomal. bilioſ.

FEBRIS BILIOSA SIMPLEX, ET COMPLICATA.

Seu medendi methodum, ſeu prognoſin reſpicias, magni certe momenti hæc diviſio habenda eſt; ut enim in meraca febre facilior ſanationis ſpes affulget, ita in complica-

ta febre bilioſa verſatile medentis ingenium requiritur, ut oppoſitis non raro indicationibus ſatisfiat.

Frequens autem eſt bilioſæ febris cum inflammatoria febre connubium, unde magna curandi difficultas ſubnaſcitur, ne ſcilicet antiphlogiſticam methodum ultra quam par eſt, adhibeamus. Hæc complicatio tunc præcipue obſervatur, cum anniverſaria febris phlogiſtica ſenſim fatiſcit, in ſubſequam bilioſam tranſitura. Febris hæc ex inflammatoria & bilioſa indole compoſita in initio ſolet febris continuæ modo incedere, atque poſt aliquot demum dies manifeſtis exacerbationibus diſtinquitur. *Grantius* quoque obſervavit in febribus annuis bilioſis, menſe Auguſto atque prima Septembris medietate, tempeſtate adhuc calida perdurante, etiam in hominibus plethoricis raro venæ ſectionem requiri, quin immo nocere ſæpius; cum autem nocturna tempora ſenſim elongantur, flante præſertim borea, majorem continuo ſecandæ venæ neceſſitatem ingruere, imo etiam eſſe iterandum hoc præſidii genus, donec omnis phlogoſis abſterſa ſit, atque tunc maxime, ſi ſicca vehemensque tuſſis urgeat. *a)*

a) *Grant* Beobachtungen über die Fieber p. 371.

Sed

Sed etiam pituitoſæ febri jungitur bilioſa, atque febrem atrabilariam *Grantii* conſtituit, ſero ſcilicet autumno, bilioſa corporum diſpoſitione nondum exſtincta. Subinde *atrabilaria febris* phlogoſin ſimul junctam habet, ſi nempe atrabilariæ conſtitutioni nondum emortuæ inflammatoria febris accedit.

Celebris inter practicos medicos lis orta eſt de natura febris puerperarum. Non eſt hic locus has lites componere, cum peculiari capite de hac ægritudine agemus. Id tantum hic notaſſe liceat, morbum hunc perſæpe in caſtra *epidemici morbi* tranſire, atque bilioſa febre dominante medicinam ſolventem, evacuantemque puerperis debere adhiberi. Idem etiam de variolis & morbillis valet, quorum morborum cum febre bilioſa complicatorum hiſtorias *Stollius* deſcripſit. *a*)

a) *Stoll* rat. med. T. II.

EXITUS FEBRIS BILIOSÆ.

Exitus in mortem.

Prima, atque frequentior fatalis exitus ſpecies eſt, cum biliformis humor ad partem quandam nobilem, ad encephalon ſcilicet,

aut

aut in thoracis cavitatem repente irruit, ut ſectionibus cadaverum hac febre perempto- rum conſtat. Tale exemplum *Guideti a*) habet.

„ Anno 1713 Junio menſe in pago *Fellecti* epidemica febris pernicioſa, tertianæ duplicis morem ſervans, una cum comite pleuritide jam plurimos homines morte confecerant. Hæc profecto eodem ſymptomatum comitatu ſtipabantur, ut ante deſcripta hyemalis anni 1709, ſed ægritudinis progreſſu lumbricorum copia per alvinas vias prodibat, ita, ut quidam medicus verminoſam eſſe febrim, & vagos lateris dolores ſymptomaticos eſſe a vermibus cenſebat; quam ob rem improbari cœpit methodus celebris medici *Gulielmetti*, qui longa edoctus experientia inflammatorium eſſe morbum animadvertens, a mittendi ſanguinis ſcopo recedere piaculum eſſe arbitrabatur; imo peracuti morbi celeritate adductus, totam ſanguinis quantitatem, quam ægrotantium vires ferendo pares videbantur, repetitis inciſionibus emitti ante diem quartum jubebat, minime omittens reliqua remedia apto tempore adminiſtranda. Attamen vir iſte, cæteroquin doctus, & experiens, tot, tantisque evacuationibus morbi feritatem infringere, aut cohibere minus potuit:

tuit: ægroti pene omnes intra ſeptimum diem interibant. Quapropter illius loci curatores morbi cauſſam adhuc latentem in aliquo cadavere inquirendam eſſe ſtatuerunt. Ad hunc itaque finem alii in conſilium vocati fuerunt medici, nempe *Verluca*, ætate, ſcientia, experientiaque conſpicuus, *Auguſta*, qui magna cum laude artem exercebat, ſimul Ego ipſe. Apertum fuit cadaver hominis annorum circiter triginta epidemica peripneumonia interempti, quem ſcilicet liberalis & frequens *phlebotomia* in vivis ſervare haudquaquam potuerat. Sublata anteriore thoracis parte per D. *Bertam* celeberrimum noſtri temporis inter Pedemontanos chirurgum, pulmones ambos ſpectabamus crocea, & cruſtoſa, ut alibi memoravimus, bile obductos, totumque mediaſtinum, totam pleuram, vaſorum tunicas, diaphragma, pericardium, & cor fulvo inquinamento polluta, cum ſeri effuſione in utroque pectoris cavo. Diſſecto abdomine jecur invenimus in naturali habitudine, ſed felleam cyſtim inanem, cyſticum, & hepaticos ductus biliarios omnino flaccidos. An defecerit in hepate ſecretio, ideoque bilis per cavam venam ad cor, inde ad pulmones irruperit; an vero eadem per venam portæ ad hepar haud traducta fuerit

ſe-

ſecretione, dubium videtur; aliter enim bilis in acutis febribus a ſecretionis loco abduci & aberrare poteſt, aliter in mitioribus aut abſente febre, ut in variis icteri ſpeciebus obſervare licet; at ſiquidem certiores eſſe non poſſumus, quomodo in naturali œconomia internæ functiones peragantur, nihil mirum ſi in præternaturali ſtatu modum, quo illæ ſubvertuntur, ignoramus. Porro lienem obſtructum, valdeque adauctum invenimus, quæ tamen ſplenis affectio longo jam tempore, opinor, acutum morbum præceſſerat. Denique in inteſtinis palmarium lumbricorum copiam reperimus, quorum generationi favere potuit ſurrepta de propriis ductibus bilis, alioque translata. Sed illud profecto admimirati ſumus, ex inciſis pulmonibus, & corde vix tantum reſidui ſanguinis prodiiſſe, quod effuſo in thorace ſero inficiendo ſufficeret.

a) *Quideti* l. c. p. 46.

Alter funeſtus hujus morbi exitus ab eryſipelate interno, mox in gangrænam transeunte, quod præcipue ab acriori bile ad nobiliora viſcera depoſita fieri ſolet; quod maxime in corporibus, quibus malus habitus, malique humores ſunt, fieri amat. Inopinanter

homines a tali eryſipelate intranea occupante pereunt.

Tertius æque funeſtus bilioſarum febrium exitus carbunculus internarum partium eſt; hunc graphice deſcripſit *Lommius a*) Locus primum prurit, deinde rubore picis, aut bituminis more ſplendeſcente effloreſcit, & maximo dolore urgetur: puſtula tum protinus vel una, vel multa oritur, flagrantiſſima, non nimium eminens, eaque nigra eſt, & interdum livida vel pallida. Hac rupta ulcus cum cruſta gignitur, qualis inuri ferro candente ſolet, eademque inflammatione cingitur, atque vi ardoris extorretur. Itaque cutis eo loco ſic inferiori carni adſtricta, affixaque eſt, ut inde diduci ea dividique non poſſit: quæ in proximo ſunt partes, caloris dolorisque incommodum conſenſu quodam omnes parcipant: præter hæc, horrore ſubinde homo concutitur, ac febre perturbatur, cui multa accedit nauſea, & ſomni cupiditas, & cordis tremor; ipſe vero tumor nunquam ſuppurat, ſed excidente tandem, corruptæ propter exuſtionem carnis particula, cavum accipit, & ſordidum ulcus. Id genus mali acutum, & ex toto mortiferum eſt, magisque ſi febrim excitavit, ſi non longe a præcipuis abſiſtit viſceribus, in axillis ſcilicet,

&

inquinibus. Metus enim eſt, facile id intro reverſurum: quod ubi incidit, in certo vitæ periculo homo verſatur, maximeque ſi plura etiam ſigna comitantur non bona. Sæpe etiam, cum id vitium circa ſtomachum fauceſque ortum eſt, ſubito ſpiritum elidit. Si in externis partibus tanta vaſtatio ab anthracibus, letalem utique viſcerum internorum deſtructionem a tanta carbunculorum acredine produci, facile patet."

J. Lommii obſervation. L. II.

Quartus denique modus, quo febris biliosa frequenter occidit, tranſitus eſt in febrem putridam, cum nempe vires vitæ, ſeu ob ipſum morbi genium & ægri peculiarem conditionem, ſeu ob perverſam medendi methodum ita corruunt, ut natura ſeparandæ & eliminandæ materiæ febrili impar ſit.

EXITUS IN SANITATEM.

Diverſis etiam modis febres bilioſæ in ſanitatem tendunt, pro varia ſcilicet humoris bilioſi copia & acrimonia.

Si nempe ſanguis neque nimium ab hoc humore repletur, neque etiam is humor nimia acritudine pollet, omnis materia morboſa copioſo potu aquoſo, aceſcente, ſaponaceo facile diluitur, & ex corpore ſponte ſenſim ſine ſenſu eliminatur.

At non ita facile res ſuccedit, ſi bilis nimia copia redundans atque acrior ſanguini admixta eſt; tunc enim magnæ turbæ oriuntur, priusquam morboſus humor a ſanguine ſeparatur, & una cum aliis humoribus per varia corporis colatoria exit.

Maxime ſolemnis eſt evacuatio materiæ vel ſolis naturæ viribus, vel arte ad exitum paratæ, vomitu aut alvi fluxu; quod ſub exacerbationis febrilis declinatione plerumque contingit.

Alter modus deſpumationis ſudoribus & urinis, quales ſupra diximus, peragitur; hæ autem evacuationes tunc ſolum juvant, cum ſyſtema gaſtricum a ſordibus liberatum eſt; quamdiu enim impurum eſt corpus, nil critici habeat aut ſudor, aut urina.

Rarius accidit, ut febris bilioſa ſanguinis fluxu, aut per nares, aut hæmorrhoides, & menſtruam purgationem judicetur. Monendum hoc eſt, ne hæmorrhagias hasce ſanguinis diſſolutioni adſcribamus, atque medi-

dicamentis antiſepticis in ægri perniciem biliofam febrim oppugnemus.

Rarius quoque miliaria in hac febre compa·rent, quæ tunc ſæpius ac in aliis febribus, rubro colore prædiri ſunt; juvat hoc exanthema, quatenus largus ſimul ſudor magnam bilioſi humoris copiam ex corpore una eliminat.

Ptyalismus etiam quandoque in febre biliofa obſervatur, qui, cum in morbi initio adfuerit, cruditatis ſignum eſt, declinante autem febre ægrum inſigniter levat. Sed accidit ſubinde, ut ſalivæ fluxus tamdiu, atque tanta copia perſiſtat, ut ægri ab hac cauſſa exhauriantur, & ex febre pereant. Exemplum hujus funeſti exitus *celeberrimus Fink a*) exhibet. „ Vir ſexaginta annorum, ſanitatis ſuæ incurius, atque herniofus, eo tempore, quo bilioſa febris in confiniis late dominabatur, colica bilioſa corripitur, accedente ſimul vehementi vomitu. Injectus clyſter, atque uſitata contra colicam remedia propinabantur. Cum autem vomitus ab his non ſiſteretur, neque ſuſpicio amplius eſſet, vomitum ab hernia ortum eſſe, emeticum præſcripſi, quo magnam bilis copiam vomitu rejecit æger, atque dolor colicus evanuit. Reliquis remediis æger abſtinuit. Cum lingua

te-

tenaci muco eſſet obducta, digeſtiva remedia præſcripſi.

Mox inde parcior ſalivæ fluxus; ſuaſi protractum illorum uſum; at renuit æger. Rediit ptyaliſmus, atque appetitus de die in diem magis dejiciebatur. Æger itaque ad rheum & digeſtiva iterum confugit, optimo cum eventu, ut brevi perfecte ſanus ſibi eſſe videretur. Cum autem a remediis denuo abſtineret, rediit morbus, nulla tandem arte ſanandus. Quotidie ultra libram dimidiam ſalivæ æger exſpuit, unde ſumma macies, & accedente tandem tuſſi mors.

Similem caſum *Galenus* refert *b*). Vir quidam ſubito humorem exſpuere cepit dilutæ bili haud abſimilem, omnis tamen acoris expertem. At de die in diem major ſemper copia talis humoris ejiciebatur, ut æger tandem ex febre hectica periret. *Proſper Alpinus c*) duos ægros vidit, qui ptyaliſmo ſex menſes, & ultra durante, conſumpti periere.

a) *Celeberrimus Fink* de febribus bilioſis anomalis: utor verſione germanica, quam vir *cl. Schreyer* curavit, cum latinum exemplar apud noſtros bibliopolas non proſtet.

b) *Galenus* L. 4. de affectis.

c) *Proſper Alpinus* de præſag. vita & morte p. 520.

No-

Notari etiam hic meretur icterus, qui ſubinde febrem biliofam judicaſſe viſus eſt; de quo ita *Lommius. a)* „Aliud quoque auriginis genus fit per febrium biliofarum judicationes, cum flavus humor vi naturæ in ſummum corpus extruditur, ſuumque cuti imprimit colorem. Subito hæc aurigo naſcitur, &, ſi non alieno tempore fit, febrem abſolvit. Tempeſtive eam fieri *Hippocrates* ſcripſit, die ſeptimo, aut nono, aut undecimo, aut decimo quarto, modo tamen mollia præcordia ſint; ante ſeptimum febris diem ſi oritur, periculum oſtendit.

a) Lommii obſervat. L. II.

EXITUS FEBRIS BILIOSÆ IN ALIOS MORBOS.

Febris bilioſa remediis calefacientibus, antiſepticis oppugnata, ex ſimplici bilioſa in complicatam mutatur, accedente nempe aut manifeſta totius ſyſtematis ſanguiferi, aut latente nobiliorum viſcerum inflammatione. Sic e contrario, dum ultra, quam par eſt, ſanguis detrahitur, neglecta pravorum humorum evacuatione, vires vitæ corruunt, & febris putrida exoritur.

Felicior bilioſarum febrium tranſitus eſt in febrem intermittentem. Solet id præſertim autumno contingere, cum febris bilioſa typum remittentis exhibet, enervatis ſenſim bilioſis ſordibus, iisque, prout ſurſum aut deorſum turgebant, e corpore ejectis. Hunc bilioſarum tranſitum optime notavit *Grantius a*), atque conſtitutionem hanc ſub nomine febrium intermittentium *fientium* comprehendit. Evidentiora enim intermiſſionis ſigna circa undecimum, aut ſaltem decimum quartum diem obſervantur; bilioſa enim febris ſenſim fatiſcit, & intermittens magis magisque eminet. Hoc autem ita fieri, duobus potiſſimum ſignis medicus admonetur. Primo enim febris incipit tertianæ duplicatæ, aut duplicatæ quartanæ ſpeciem referre. Abſit tunc omnis actuoſa nimis medicina, neque aut ſanguinis miſſio, aut purgatio largior ſit; victu magis, quam medicamentis medeamur; perfecta alias intermittentis febris evolutio præpeditur. Alterum orituræ hujus mutationis ſignum, horripilatio eſt atque frigus, quibus exacerbationes ſolent inchoare, & quorum ſenſum ægri in pedibus maxime percipiunt. Frigus hocce per duas ſubinde horas durat, magno calore ſubſequo, verſus auroram tandem imminuto, al-

vo

vo dein, urina & ſudoribus bilioſis ſubſecutis.

a) Grant von Fiebern p. 388.

Magna denique viſcerum digeſtioni inſervientium labes a neglecta, aut male ſanata bilioſa febre contrahitur; unde innumera mala in oeconomiam animalem redundant, ſæpe per omnem vitam non tollenda. Quantum hepar ob neglectam maleque curatam bilioſam febrim turbetur, binis ab *illuſtriſſ. Tiſſoto* prolatis exemplis intueamur:

Vir quinquagenarius, bilioſæ conſtitutionis, merobibus, omnibus olim libans paſſionibus, ſollicitudinis omnibus generis vexatus, ante quindecim annos febre quartana laboraverat, deinceps febre, quam malignam dicebat, quam vero ex ſymptomatum hiſtoria bilioſam ſuſpicatus ſum, & quæ reliquerat vomitus bilioſos ſubinde redeuntes, teſtes infarctus jecoris incipientis. Novo morbo decumbit vere anni 1756; invadebat primum horror, tum faſtidium, nauſea, anxietas, dolor ſub mamma dextra obtuſus, tuſſis vehemens, levis, quantum retulit febris, flava cutis. Medens pharmacopola demulcentibus tuſſim, narcoticis vigilias, cortice peruviano febrem debellare tentaverat; ægrum ruris degentem vi-

vigeſima morbi die vidi. Febris remiſerat, pulſus tamen adhuc celer, parvus & haud infrequens; dolor remiſſior; vigebant icterus, faſtidium, debilitas, vigiliæ, tuſſis; mane bilem evomebat; accurata palpatio durum detegebat hepar. Quænam idea morbi? Jam a febre quartana, magis a bilioſa labefactatum jecur, generatæ obſtructiones. Omnia novi morbi ſymptomata inflammationem partis illius viſceris indicabant, haud reſolutam, & ſæviora minantem. Juſſi vegetabilium, ſaponaceorum, aceſcentium, macilentorum pro diæta & remediis uſum, nec de illo ante annum fere audivi; tunc novi conſilium neglectum fuiſſe; faſtidioſum conſulenti palatum diæta fuerat ex ſapidis, ſucculentis, aromaticis. Paulum remiſerant ſymptomata, & viribus quadantenus recuperatis, muneribus aliquamdiu functus erat, ſemper tamen debilis, bilem evomens, & tuſſiens. Ineunte Decembri ſuaſu medici alienigini ruditer epiſtolis informati, pilulas ex ſapone hiſpanico devoravit; omnia mox in pejus ruebant. Medio Januario 1757 acceſſitus, illum continua, nocte præſertim, tuſſi vexatum inveni, cum ſtupenda expectoratione viſcido bilioſa, aquis diſtentum tumebat abdomen, ſomnus nullus, anxietas ſæva, urinæ perpaucæ rubræ,

fa-

ſaſtidium plenum, ſitis, icterus jam viro-nigreſcens, hepar tumidum, durum. Conclamatis omnibus, nec ulla ſpe aut ſanationis, aut palliationis remanente, vix animus erat, quidquam præſcribere. Celeberrimus conſultus medicus reſcripſit; pro pace animi aliquid forte præſcribendum, quod non noceat; lenia aperientia, antiſeptica bilioſæ putredini reſiſtentia, alvum leviter moventia indicari videntur, nec ſedabitur ſymptomatica tuſſis, ſi cauſſa reſiſtat; at mehercle reſiſtet. Talis proſapiæ concinnata formula, juſſuque inſtantis ſuffocationis inſtituta paracenteſi, diram infelix tranavit vitam, quam longiorem veroſimiliter duxiſſet, ſi poſt primam febrem bilioſam congrua adhibita fuiſſent remedia, ſi hepatis inflammatio anno ſuperiori nota & recte curata fuiſſet, ſi conſiliis tunc temporis datis auſcultaſſet, ſi demum non ſumpſiſſet pilulas ſaponaceas, ubicunque putredo adeſt, fugiendas. *a*)

Triſtiorem adhuc recenſere proderit caſum ex neglectis reliquiis febrium bilioſarum. Feſto nativitatis ſacræ anni 1751 operam meam deſiderabant cognati, virginis quinquaginta & aliquot annos natæ; a decennio plures ſuſtinuerat febres bilioſas, delirio ſemper ſtipatas. Ultima reliquerat ante triennium

nium torpidum corpus, moroſam mentem, viſus debilitatem, triſtitiam, quæ moralibus aucta cauſſis, terrore accedente ſubito in vehemens delirium mutata, ægram funeſtiſſimis vexabat ideis; propinguis, ſervis diffidebat; ſeſe jam mortuam vigil haud raro ſomniabat. Pulſus celer, mollis, anxietas continua; ſomnus nullus. Diligenter perpendenti omnia non latuit diu cauſſa morbi. Hepaticum nimirum ſyſtema obſtructum a præcedentibus morbis, cerebrum debilitatum deliriis febrilibus, nunc vero & ſympatice vitio hypochondriorum, & idiopatice bile ſanguine mixta irritatum. Nota cauſſa patebat curatio. Collecta & irritans evacuanda bilis, reſerandæ viſcerum abdominalium obſtructiones, & totum deinde vaſculare & nervoſum genus roborandum. Nocivam venæ ſectionem, ſollicitanti impetuoſe ægræ, omniaque alia renuenti, ſollicitantibus adſtantibus concedere imperavit neceſſitas; parum ſanguinis educebatur, nec minimum profuit, nec multum nocuit. Gratus, diluens, aceſcens potus ſitim per biduum reſtinguebat, potio emeto-cathartica multam ſaburram bilioſam educebat, & copioſo uſu pilularum e ſaponibus acidis, decocti graminis, & ſucci ſenecionis, fauſte tunc adhuc viridis reperiundi, op-

ti-

time convaluit; ſed citius æquo remedia deſeruit. Æſtate proxima aquas e pago Vals apud Viviacenſes per plures dies, ſed parca doſi potavit; inſequenti vere anni 1753 ſecundum inſultum, ſed priori leviorem experta eſt, qui uſui laxantium acidorum ceſſit. Conſultus remotus medicus ſuaſit balnea tepida per viginti dies, & ſerum lactis, cujus ſex libras quotidie potaret, cum pulvere ex nitro, cremore tartari, & ſacharo; quid hic boni præſtare poterant balnea tepida? Brevi poſt in vehementem incidit paroxysmum, chirurgus ſe medicum jactans venæ ſectionem adhibuit; inde omnia in pejus mutata. Obſtructiones, bilis dominium, debilitas, irritabilitas increverunt. Inſciis omnibus agripnias narcoticis compeſcere ſtuduit ægra, ſed quot ſic inducebat mala? Augebatur atonia, firmius impingebatur morbi cauſſa, omnes præpediebantur ſecretiones, cerebrum prorſus debilitabatur, melancholia novas acquirebat vires. Profuit electuarium ex cremore tartari & extracto taraxaci, cum decocto citrato graminis, cui nonnullæ injiciebantur fibræ hellebori nigri. Sed moroſitate aucta, omnibus rejectis remediis, paroxysmi frequentiores fiebant; ſex deliravit quotannis menſes, ſex alios non nimis ſapiebat;

bat; vehementiam delirii pacavit quondam balneum frigidum, cujus frequentiorem uſum ſuaſeram; tandem ex aëris intemperie, in ſolo frigido contracta peripneumonia, intra paucos dies, quantum audivi, necata eſt. Emulſa pro deliciis illi erant, & nunquam illa uſurpabat, quin craſtina die pœnam lueret, affecto enim ventriculo afficiebatur & cerebrum; ſapere diſcant illi, qui ex delirio venæ ſectionem & omnis generis refrigerantia indicari credunt; non illis aſſentiebatur *Hippocrates*, qui obſervavit, & graphice deſcripſit morbum noſtro ſimillimum, quem curandum docet helleboro nigro, aqua, melle, & aceto. *b*)

a) *Iluſt. Tiſſot* febr. bilioſ. Lauſan. p. 99. & ſequ. Edit. Lauſann.

b) *Vocat morbum craſſum a bile, cum bilis in hepar influxerit, & in capite conſtiterit: De internis affection.* Cap. L. I. *Foes.* p. 558.

Univerſim, omnes ſequelas febris tunc regnantis bilioſæ, ſi vel nimis tarde incepta curatio, vel male inſtituta, aut citiùs deſerta, ex triplici fonte derivabat; a materia nempe morbi non evacuata, atque ad alias partes traducta, vel ex viſcerum obſtructione, vel denique ex debilitate vi morbi, inducta,

ducta, quæ organa functionibus peragendis inepta reddit.

METHODUS MEDENDI FEBRI BILIOSÆ.

Stadium cruditatis.

Febrium bilioſarum curam nunc aggredimur, quæ pro diverſo hujus febris tempore etiam diverſa eſſe debet; aliter enim humore biliformi cum ſanguine adhuc per corpus oberrante, aliter hac materia ad exitum jam parata, & turgente mederi opportet.

In initio itaque morbi atque febre etiam aucta, talia remedia propinanda ſunt, quæ bilioſas ſordes ſolvunt, easque lente ad hepar & primas vias trahunt. Huc pertinent cremor tartari, ſalia media cum potu largiore, aceſcente, oxymelle; decoctum graminis cum ſyrupo berberum, ribeſiorum &c.

Diæta antibilioſa aërem & alimenta ægrorum regit. Aër quantum fieri poteſt, frigidus, & ſæpius renovatus in cubiculo procuretur; aëre enim calido nihil magis juvat putredinem, & reſpirationem lædit, & ex ſola illa cauſſa in immenſum creſcere poſſunt febris, anxietas, delirium; longe magis adhuc

nocet, ſi calefactum ſit putridis effluviis tum ægri, tum adſtantium, quod nunquam non evenit, quotiescunque pluries de die non renovatur. Vix peſtilentiores dantur morbi, quam illi, qui generantur in locis, in quibus plures colliguntur homines immutata aura. Nec quidquam aliud magis ægrotanti, & ſanæ nocet plebi, quam illa acribeia, qua tum ſegnitie, tum refrigerii metu, clauſis ſemper cubiculorum feneſtris, atmoſphæram perpetuo inſpirant exſpiratione hominum, brutorum, alimentorum, & excrementorum fœdatam. Aceti fumus multum prodeſt.

Quoad alimenta duo ſunt præcepta, a quibus recedere nequit medicus: primum, ut vires digeſtivas non ſuperet quantitas; ſecundum, ut qualitate morbi cauſſæ oppoſita gaudeant. Hic ſane tenuiſſimam diætam imperant, tum ipſe ventriculus omnia faſtidiens, tum ratio; turgente enim ventriculo putridis ſordibus, omnis perverſa eſt vis digeſtiva; quid prodeſſent alimenta? mox enim aut vomitu rejiciuntur, vel ſi, quod longe pejus, remanent, novum gravamen ventriculo, novum febri incitamentum, & pabulum præbent. Nihil nutrit, niſi quod digeritur, nihil, vel perparum, bilioſo ſcatens humore ventriculus digerit. Sed hæc intelligere nequeunt

ne-

neceſſarii, damnoſa grex; intelligere nequeunt, aliud eſſe replere, aliud diverſiſſimum nutrire, & quidquid non nutrit ægrum, nutrire morbum: *impura corpora, quo magis nutriveris, eo magis lædes. a)* Non novi utiliorem ait *Illuſt. Tiſſot b)*, inter ſententias *Hippocratis*, non novi frequentius in perniciem generis humani violatam. Cum ergo impares ſint vires ventriculi digeſtioni ſolidorum, liquida tantum diſtributu facillima adhibeamus, ad eam ſemper *Hippocraticam* legem attenti, ut quo vehementior febris, eo tenuior diæta.

a) *Aph.* L. II. p. 10.
b) *Tiſſot* l. c. p. 78.

Secundum eſt, ut eligatur nutrimentum, quod cauſſæ morbi adverſum putreſcere nequit. Adhibuit ſummus in arte magiſter duplicem ſuam ptiſannam, quæ nihil fuit, niſi decoctum hordei. *Illuſt. Tiſſot* avenam excorticata; optimus præparandi modus fuit, ſi cum aqua decoqueretur, & poſt decoctionem colaturæ adderetur modicum ſacchari, ſalis mitiſſimi, antiputridi, reſolventis, minime hic metuendi, & uncias tres omni trihorio ſummerent ægri. Dum agit de curatione febrium putridarum, ſimilia ſuadet celebris ille quon-

dam *Philippi* ſecundi Archiater *Lud. Mercatus: commune*, inquit, *omnibus alimentum eſt, jus pulli cum lactucis vel cucurbita decocti, panatellam etiam ex jure pullorum & ſaccharo, cum ſucco limorum aut aceto guſtui gratiſſimam eſſe comperimus; præſtantiſſimum etiam efficitur alimentum ex jure panis cum ſaccharo, & modico ſucco limonum. a*) Nihil magis nocent, quam ſucculenta illa fercula ex juſculis bovis, gallorum gallinaceorum, columbarum, agnatis adeo adamata, bilioſo autem ventriculo indigerendum farcimen præbentia; & quorum furtivus uſus non ſemel vehementes exacerbationes induxit, imo plures orco tradidit. Prodeſſe poſſunt ventriculis acida laborantibus cacochilia, quam ſpontanea putreſcentia infringunt; in morbis vero putridis non aliud niſi veneni nomen merentur. Quid de lactis uſu? Reſponſum præbet *Hippocrates*: Lac dare capite dolentibus malum. Malum etiam febricitantibus, & quibus elevata ſunt hypochondria murmurantia & ſiticuloſis; malum autem & quibus dejectiones bilioſæ, & iis, qui in acutis ſunt febribus. *b*) Nec latet ratio, multum enim nutrimenti pinguis ſumme noxii in lacte reperitur.

a) *Opera medica*. T. II. p. 886.

b)

b) Lib. V. aph. 64.

Potu alio non utantur ægri, quam ptiſannis prædictis, quas frigidas ſemper hauriant; quantum enim proſunt tepidi hauſtus, ubi nimia adeſt rigiditas, qualis in inflammatoriis reperitur, tantum nocet in putridis & laxis morbis: *nam calida faſtidia generat, cibi aviditatem minuit, viſcera contriſtat dejicitque eorum vires, mentis torporem efficit, animi deliquia, ſanguinis profuſiones.* a)

a) *Galenus* de ſanitate tuenda.

Inter illa remedia, quæ potenter viſcidam bilem reſolvunt, aut eam ad primas vias alliciunt, tartarus emeticus, & radix ipecacuanhæ refracta doſi exhibita, magnas laudes merentur; atque ipſa emetica, præterquam, quod bilem evacuant, vim etiam ſolventem in humoribus exſerunt.

Purgantia denique leniora ſummopere proſunt, cum biliformem materiem & copioſius ad primas vias determinent, eamque ſimul ex corpore eliminent. Ad hanc claſſem pertinent tamarindi, pulpa caſſiæ, manna, ſalibus mediis acuata, quorum aſſiduo uſu magna quantitas vitioſi humoris corpori ſubtrahitur.

Hac methodo hucusque enarrata omnis levior biliofa febris facile & cito tollitur.

STADIUM TURGESCENTIÆ.

Quum tanta ſit emeticorum in æſtiva febre utilitas, quæritur, ait *cl. Hæberl*, an quovis febris tempore cum emolumento ventriculus ſubverti poſſit artificiali vomitu, an vero certum febris ſtadium exſpectandum ſit? Videtur profecto certa aliqua occaſio captanda eſſe, qua utiliter pharmacum dari poſſit. Datum eſt in noſocomio non omni febris tempore, non primis mox morbi diebus, ſed progreſſa aliquamdiu febre, depoſita ad primas vias ſaburra ac ſurſum turgere incipiente, præparato ad emeſin corpore: *ſaburra biliformis enim, quæ per emeſin excuſſa hominem moleſtis ſymptomatibus liberat, non primis mox morbi diebus in ſyſtemate gaſtrico præſens eſſe, ne quo vitio diætetico ibi originatenus naſci, ſed morbi ſucceſſu, ſexto ferme vel ſeptimo die, febrili deſpumatione per ſyſtema biliferum ad primas vias congeri videtur.* Hæc *Stollii* ſententia eſt, quam his rationibus tuetur:

1) Bilioſa febris frequentiſſime oritur absque ullo diætæ errore, in hominibus quam maxi-

maxime ſobriis æque ac in intemperantiſſimis helluonibus;

2) Multoties primis praxeos ſuæ annis experiundo ſe didiciſſe adfirmat, emetica vel cathartica non quovis febris ſtadio æque prodeſſe; non relevari ægrum a pharmaco primis ſtatim diebus ſumpto: quodſi jam ſaburra biliformis in primis viis antecedenter præſens febrim accenderet, ea primis quoque diebus excuſſa febrim ſolveret, quo eà maturius inſtituta malo pabulum ſubriperet; quum vero id ſecus fiat, exinde deducit febris originem non in primis viis deliteſcere, neque ſaburralem materiem ab initio mox ibi præſentem eſſe, ſed febris ſucceſſu illuc conferri.

3) His *Stollii* argumentis addit *cl. Hæberl*: in febrium quarumcunque decurſu non raro ſtaſes & infarctus hepatici dolentes indolentesve naſcuntur, a materia critica ex ſecundis viis ad primas amandata, toroſo hepati in tranſitu ſuo impacta; ſed in progreſſu febris bilioſæ itidem frequentes, uti aliquoties vidimus hac æſtate, infarctus hepatis dolentes indolentesve contingunt; hinc & in bilioſa febre hi infarctus a materie, quæ prius in ſecundis viis hæſerat, nunc autem febrili deſpumatione ad ſyſtema gaſtricum refunditur, ortum habere videntur.

4) Febris bilioſa continua non ſummam modo ſimilitudinem, ſed veram adeo, ſit verbo venia, identitatem cum intermittente contemporanea habet: de intermittentibus autem conſtat ſatis certo, quod ſub ſtadio horroris febrilem fomitem in ſecundis viis hærentem natura partim ſubigere, partim extricare nitatur; ſub ſtadio caloris autem aligenam materiem extricatam, velociter circumvehendo ad varia cola adpellat, & ſtadio demum ſudoris ejus partem per urinarum vias, partem per ſuperficiem cutis, inſigniorem vero partem metaſtatica ad primas vias refuſione exoneret. Cujus quidem rei argumento eſt nidoroſus, finito febris paroxysmo ſudor, coloratum lotium ſedimentoſumque, & alvus plerumque modice laxa, & nonnunquam levior colica, intenſior oris amaror, vomituritio, vomitusque nonnunquam materiæ ſaburralis, quum horum ſymptomatum, quæ præſentem primarum viarum ſaburram arguunt, nullum ægro perciperetur ante febris paroxysmum. Hinc cum in *intermittentibus bilioſis* ſaburralis ſyſtematis gaſtrici colluvies ante febris impetum nondum præſens, ſub paroxysmi finem primum ex febrili humorum deſpumatione congeratur: manifeſto inde evincitur, idem in *bilioſis continuis* contingere debere. *a*)

a)

a) Cl. Haberl l. c. p. 64—65.

Mobilem autem eſſe ſaburram, atque ſurſum turgere, hæc ferme ſigna ſunt: corporis totius laſſitudo, impotentia ſubita, horrores, lingua ſordibus obſeſſa, os amarum, cibi faſtidium, oris ventriculi morſus, præcordiorum moleſtiæ, & tumores digitis facile cedentes, pectoris anguſtiæ & oppreſſio, dolor ventriculi, item lateris ſub ſepto transverſo, & intra coſtas hærens, ſed absque præcordiorum inflammatione; extremorum frigus, capitis totius gravitates & dolores, vertigo, oculorum caligines, mentis marcor, animi abjectio, inquietudo, anxietas, jactationes, ſalivæ in os affluxus, copioſior, labii inferioris tremor &c.

Hæc cum in corpore geruntur opportuna eſt materiæ morboſæ per vomitum ejectio. Optime hoc fit tartaro emetico, emetico-catharſin excitante, aut radice ipecacuanhæ vel ſola, vel tartaro emetico armata.

Ipecacuanha *mitius* agit, utut ſit ſumptu difficilior, agit plerumque ſolum per ſuperiora, ut ſit *emetica* ſolum, non autem *emeto cathartica.* Datur ad ſcrupulum unum, grana XXIV, drachmam β; vel ſola, vel cum ſale medio, vel cum cremore tartari trita,

 vel

vel cum rheo, vel cum grano uno tartari emetici armata.

Alterum eſt æque uſitatum, tartarus emeticus, qui ad duo, tria grana cum ſaccharo datur, aut ſolutus in aqua. Solvuntur grana IV. in libra aquæ, ut omni $\frac{1}{4}$ hora, aut omni 20mo minuto æger quartam hujus partem ebibat, donec vomitus ſequatur. Pueris quoque dari ſolutus poteſt.

Quæritur, an perinde ſit, ſeu per *epicraſin* des, ſeu vero pro *una doſi*. Reſpondeo: pueris, infantibus, mobilioribus, ſeu viris, ſeu fœminis danda eſſe emetica per *epicraſin*, item iis, quibus multa pituita ventriculus gravatur. Vino aſſuetis parcior doſis convenit. At robuſtis, butyro, caſeo, pane fere ſolo viventibus, item ſoporoſis, deliris, major doſis danda; certa res eſt, mente motos, ſeu delirium ſit febrile, ſeu maniacum, difficillime vomere, & quadruplam ſæpe doſin requirere.

Ceterum de emeticorum uſu ſequentia notanda ſunt:

1) In ſumendo emetico id facias, ut poſt aſſumptum emeticum potum theatum non aſſumas, ſecus enim vim medicamenti infringes, & ex emetico ſolum purgans efficies. At poſt quemlibet vomitum æger bibat po-

thea-

theatum. Mala eſt methodus, quæ vomitum *copioſa aqua* tepida epota movere tentat, cum finis ſæpe non obtineatur.

2) Purgans vomitorio ſubſtitui non debet, neque idem habetur effectus. Sæpe tamen *purgans* in ſaburra ventriculi fit *emeticum*, & emeticum vice verſa ſæpe in purgans aut emeto-catharticum abit, in ſaburra inteſtinorum.

3) Poſt emeſin plures ſunt, qui paregoricum ægris propinant, eo ſcilicet fine, ut turbæ ab emetico concitatæ ſopiantur. Nunquam, aut vix unquam hanc praxim ſequebatur *Stollius*, cum videret, excuſſa ſaburra, alvo mota, motisque ſudoribus, ægrum in blandum plerumque ſomnum delabi, & refici inde. Turbæ non facile, niſi ab inepte dato emetico excitantur; niſi forte in irritabiliſſimo homine nimia emeſis, vel diarrhæa, vel anxietas oriretur, ut opus eſſet hos tumultus opio inhibere.

4) Vomitu peracto ſedulo curandum eſt, ut alvus quoque aperta maneat, atque reliquæ per ſudorem & urinam excretiones libere procedant. Quodſi itaque alvus moroſior ſit, eam repetito enemate ex decocto herbæ malvæ, vel florum chamomillæ parato, cui

cui unciæ jj-iij oxymellis ſimplicis adduntur, ſollicitare oportet.

5) Utilitas dati emetici non ex copia materiæ vomitu rejectæ, ſed ex levamine ſubſequo æſtimanda eſt.

Juvat nunc ſigna quædam *deceptoria* exponere, ſeu talia, quibus præſentibus ſaburram bilioſam & adeſſe, & etiam turgere medici minus experti arbitrantur. Inflammatio primo loco eſt commemoranda, maxime *hepatis*, atque interioris ejus ſubſtantiæ, item aliorum quoque viſcerum abdominalium major minorve inflammatio. Poſt hepatis tamen inflammationem, renum, ureterumque inflammatio maxime vomitum bilioſum, æruginoſum ſibi junctum habet. Vidimus ejusmodi vomitum ab hæmorrhoidibus veſicæ atque urethræ. Vidimus quoque hepatitides habitas pro febre bilioſa, & emetico tentatas: item inflammationem duodeni. Alterum ſignum *decipiens* eſt, depravatus guſtus, qui a multis cauſſis oriri poteſt, ſcilicet a vitio oris & faucium, a vitio pulmonum, a vitio humoris ſalivalis, & univerſim plus minusve omnibus *febricitantibus* guſtus eſt depravatus. Quanti momenti ſit hæc res in dignoſcenda & curanda febre bilioſa *Illuſtris Frank* exponit. *a*)

a) De larvis febr. bilioſar. In delectu opuſculorum. V. I.

Cer-

„ Certe ab arthritica materia ad ventriculi parietes retrogreſſa & pertinaciter hærente, vel ab acri quocunque viſcus hoc erodente & inflammante, enormes vomitus emetico nequaquam auſcultantes, ſed quampluri-mum exaſperandi. Toties obſervatum eſt, & ipſemet novi, ex longa ad regionem epigaſtricam oppreſſione, appetitu dejecto, nauſea, vomituritione fere perpetua, ad emetica, uti ad ſacram anchoram confugiſſe medicos; cum interea malum a vaſorum ventriculi ſanguineorum turgeſcentia, & a craſſi atrique ſanguinis in iisdem ſtragnatione proveniens, in funeſtos cruoris vomitus ab emetico converteretur, & arti maculam inureret; circa quod *Klœckhof a*) monebat omnes, ne vaſorum ventriculi obſtructionem cruditatibus adſcriberent. Ipſe ego ardore laborans ventriculi perpetuo, & appetitu depravato, repetito ingeſſi emeticum, bilem ſat copioſam quidem ejiciens; ſed malum ab acido ortum duxerat, in quod nullæ emeticorum vires eſſe poterant, & cui debellando abſorbentium optimorum uſus vix non erat impar. Communis litteratorum ferme omnium morbus eſt ſtomachi debilitas, viſcerumque digeſtioni inſervientium inactio: ſub his quotidiana fere ad ciendum vomitum naſceretur indica-

tio;

tio; a quo tamen remedii genere malum quam plurimum exaſperabitur. Commutata vitæ ratione, & moderatis animi contentionibus redit ſua iterum ventriculo virtus, & quod capiti nimis affluxerat vitalium virium, hoc digeſtionis operi impenſum, omnia mox incommoda aufert, a nullo emetico auferenda: quamvis non ita raro ab accumulatis his ſordibus vera vomitionis artificialis naſcatur indicatio, ſuasque tunc utilitates habeat experientia comprobatas.

a) Hiſt. febr. Culenb. in opuſc. p. 70.

„ In ventriculi, inteſtinorumque occultis inflammationibus, ubi toties pulſuum ſumma eſt fallacia, quam plurimos novi leto traditos, cum ex nauſea, vomituritionibus, oppreſſione ſtomachi, quin & ex oris amaritudine & linguæ viſcoſitate ad bilis turgeſcentiam concluderent incauti. Quantas vero ſtrages ederet medicus, qui in cholera morbo non demulcentibus magis & antiſpasmodicis remediis ægro ſubveniret, quam bilem moventibus medicamentis, cujus motus jam tanti ſunt, tamque ſæpe a bile ipſa originem non trahunt, ut quodcumque acre iisdem producendis par ſit, & in ſpecie quidem diverſam, in genere vero conſopientem nervo-

vorumque tumultus nimios moderantem medelam requirat. Vereor, ne in dyſenteriis malignis ob nimias in hoc morbo emeticorum laudes, ſæpiſſime peccetur: cum a ſolo inteſtinorum dolore, nervorumque ventriculi conſenſu, & nauſea & vomituritio facillime producantur, inflammatio vero jamjam inteſtinalem tubum occupans, omnem certe, niſi hæc abacta fuerit, emeticorum uſum intercludat.

„ In periculoſiſſimis peripneumoniis, ſumme inflammatoriis, a ſolo conſenſu non raro vomituritionem obſervari eſt, quem & vomitus inſequitur, & hunc oris amaror. Atqui exitialis erit in ſymptomatico hoc vomitu emeticorum actio: a quorum uſu juniores medicos recte abſterret *cl. Vogel. a*) Quodſi in herniis incarceratis, præſente jam validiori inteſtini prolapſi inflammatione profuerit aliquando vomitorium remedium, id quidem ſub certis circumſtantiis non omnino negaverim; aſt in malo, cujus exitus in ileum tam frequens eſt, quodve tam immanes ſemper vomitus habet comites, niſi omnis inflammatio jam ceſſet, & regreſſus impedimenta ſublata ſint, emeticorum uſum maxime dubium ego quidem habuerim, donec non per unius, ſed plurimorum experimentorum fidem convi-

victus fuero. Hepatis, renum, uteri & veſicæ inflammationes bilioſo perſæpe ſtipantur vomitu, & funeſte illos decipiunt, qui ſyſtematis bilioſi auctoritate capti, ſymptoma a morbo ipſo non ſeparant, illique medendo, cauſſam iſtius exaſperant.

a) Handbuch der practiſchen Arzneywiſſenſcaft I. Th. p. 314.

Quemadmodum vero incerta ſæpenumero ſunt turgeſcentis bilis indicia; ita morbi dantur revera bilioſæ indolis, in quibus materia turgere non videtur, ſumma tamen eſt emeticorum mox a principio porrectorum utilitas. Perdifficilis eſt in hiſce morbis diagnoſis; niſi epidemicus eorum character, & nota anni conſtitutio lucem afferat, & ad bilis excretionem, antequam diarrhæam ulterius progreſſo morbo, afferat tædioſiſſimam, moveat. Sic in bilioſa pleuritide venæ ſectio dolorem haud leniebat, quamvis morbus fuiſſet ex rheumatico inflammatorius, ſigna jam non amplius aderant, nec nauſea, nec vomituritio; cum interim morbi genius epidemicus mihi ex multis aliis ægris jam notus fuerat, cum genæ ruberent intenſe, circa labiorum oris commiſſuram vero ex livido paleſcerent, ægraque a primis morbi diebus vomitum paſſa fuiſ-

fuiſſet ſpontaneum ; præſente reſpiratione perdifficili, & dolore lateris atroci, dedi ſexta morbi die, qua primum vocatus eram, emeto-catharticum, a quo bilis multa ore & alvo rejecta eſt. Siluit abhinc dolor lateris fere omnis, ægraque ſomnum recuperata eſt, eousque amiſſum, & tranſpirationem maxime proficuam, moderatam, quæ non minima emeticorum in corpus humanum virtus eſt. Inter potiora diagnoſtica redundantis inter præcordia bilis repoſuit & *Illuſtr. Stoll a*) hunc ruborem genarum, quaſi minio affrictum, dum ad oris labiorum commiſſuram & narium pinnas procurrit, ruborem pallor excipit ex flavo vireſcens, & præcipue dum ſplendor quidam oculorum, quaſi lacrymis innatantium accedat. Similes meis, quæ copioſæ ſunt, obſervationes adduxit vir hic egregius, ubi nec minimo bilis turgeſcentis præſente ſigno, eandem tamen adeſſe, felici omine concludebat, morbumqne ex voto curabat."

a) Ratio medendi T. II. p. 129.

Etſi in genuina febre bilioſa, materia bilioſa multo potu aceſcente & ſaponaceo ſoluta, omnis cura plerumque emeto-catharſi abſolvatur; frequenter tamen prævia corpo-

ris ad hanc ipſam evacuationem ſubeundam præparatio requiritur.

Atque omnium primo gravis hic quæſtio oritur, an & quando in febribus bilioſis venam ſecare opporteat? Certum utique eſt, ſanguinem ex vena detrahere, in febre bilioſa, ſi naturam hujus morbi perſpectam habeamus, hancque febrim ab omni alia ægri conditione divulſam ſpectemus, adeo non juvare, ut etiam maxime nociva habenda ſit; viribus enim vitæ per ſanguinis miſſionem dejectis, ſeparatio humoris biliformis ex ſanguinis maſſa, ejusque per colatoria evacuatio impeditur. Nihil enim magis ad firmiorem curationem conducit, quam ſi firmæ fuerint ægri vires: illæ ergo omni ope ſervandæ ſunt, quo plus enim vim ægri, quæ reliqua eſt ſanitas, debilitabis, eo magis prædominabunt vires morbi. Hinc a methodo antiphlogiſtica in febre bilioſa præter rationem inſtituta frequens tranſitus in febrem putridam, varii materiæ alienæ ad viſcera nobiliora, & nervos decubitus. Addit *Illuſtr. Tiſſot a)* generationem febris bilioſæ non eſſe opus unius horæ; congeruntur ſenſim ſordes, obſtruuntur viſcera, languent gaſtrici ſyſtematis functiones; imperfecta remanet digeſtio, imperfecta ergo & nutritio; nec eadem inde

ſan-

ſanguinis quantitas conficitur, nec idem ille elaboratur ſanguis, ſolus fere inflammari capax. Illo ergo momento, quo aliquis bilioſa febre corripitur, jam plethoricus & pancreaticus eſſe *plerumque* deſiit.

a) *Illuſtr. Tiſſot* l. c. p. 134.

Juvat ergo exacte noſſe circumſtantias, quæ in febribus bilioſis ſanguinem detrahere permittunt, aut etiam poſtulant, qua de re ipſum *Stollium* audiamus.

„ De ſanguinis miſſione in morbis bilioſis inſtituenda, ſæpius a viris doctis quæſitum eſt, an & quousque & quem in finem mitti hisce in morbis ſanguis poſſit! En! quam ego legem ea in re ſim ſecutus.

Morbo bilioſo venæ ſectionem nunquam per ſe convenire mecum ſtatueram, cum quod extracto ſanguine, bilis domitore, morbus acrius inſurgat, materia intra ſanguinis ſtationem liberius irruente, tum quod, quæ emetico & purgante feliciter auferuntur, & cito ſanquinis detractione ſaltem non indigeant. Obſervatio numeroſa, medendi princeps magiſtra, me hunc de ſanguinis miſſione canonem edocuit.

Verum ſi humor bilioſus magnam partem per corpus diffundatur, & plethoræ ſpecies, vaſorumque turgor tum a bonis ſuccis, cum a pravis intra ſanguinis alveum receptis, indeque & febris valida, & humorum circumeuntium ob nimiam eorundem copiam quædam quaſi ſtrangulatio immineat, ſanguinem mitto, ſed avara manu, & ad uncias paucas, ut me nunquam pœnitere largius effuſi ſanguinis poſſit, educturum denuo paucum quid, ſi necdum obtinuero, quæ propoſueram.

Expertus affero non una vice, plus nocuiſſe ſanguinem, ubi non oportuerat, miſſum, quam non miſſum, ubi oportuerat. a) "

a) *Stoll* medendi ratio T. II. p. 97.

Convenit itaque ſanguinis miſſio, & univerſim antiphlogiſtica methodus, ſi febris bilioſa in hominem florentis ætatis, robuſtum, & plethora laborantem inciderit. Laxatis enim ſolidis, atque humorum movendorum mole imminuta, ſolventia & diluentia remedia facilius ſanguini miſcentur, neque humor bilioſus vehementiori circuitu in nobiliorem aliquam partem impingitur, & non raro ſanguinis copia imminuta, ſponte ſalutaris emeto-catarſis ſequitur.

Hinc

Hinc antiphlogiſtica methodo corpus ad emeto-catharſin diſponi debet, ſi aut febris ſtationaria inflammatoriæ indolis ſit, aut annua phlogiſtica diatheſis ſubortæ bilioſæ febri adhuc commixta, aut topica ſimul viſcerum inflammatio ſubſit. In hoc enim inflammatorii & birioſi vitii connubio frangenda eſt primum phlogoſis, atque tunc demum ſordium bilioſarum ſolutio & evacuatio feliciter ſuccedent. Eadem medendi methodus obtinet, ſi perverſa calefaciente methodo phlogoſis in corpore accenditur.

Præter antiphlogiſticam methodum, quæ præſente diatheſi phlogiſtica emeto-catharſi nonnunquam præmittenda eſt, aliæ etiam affectiones dantur, quæ emetico obeſſe videntur, at non ita, ut debitis cautelis adhibitis emeticum omnino nullum poſſit exhiberi. Hæc emeticorum contraindicantia ſequentia potiſſimum habentur: herniæ, graviditas, hæmmorhagiæ narium, hæmoptöe, ætas decrepita. Hernia itaque non repoſita brachierio firmanda eſt. Graviditas non contraindicat ſemper, neque lochia, neque menſtrua; cavendum tamen, ne facile dentur emetica facile abortientibus, circa tertium quartumve menſem, & circa tempus, quo alias redire ſolebant catamenia: morbus ſæpe periculoſior mul-

 co

to eſt, quam emeſis morbum curans. Pectus anguſtum, collum longum, & hæmopthylica diſpoſitio cautos nos in exhibendis emeticis reddat; at ſupra diximus, dari ſputum cruentum emeticis curandum, item pleuritidem talem. Hæmorrhagiæ uteri, pulmonum, narium, emeticum contraindicant, niſi ſint a bilioſo fomite, ubi emeticum indicatur. Denique notandum, alvo pertinaciter clauſa nunquam dandum eſſe emeticum.

Hæc de methodo emetica in febribus bilioſis ſufficiant. Medicorum quorundam objectiones contra emeticorum uſum in genere, atque difficultatum illarum ſolutiones *celeber. Noſe a)* in peculiari tractatu exhibet.

a) *Carl Wilhelm Noſe* über die Zuläſſigkeit der Ausführungen, beſonders durch Brechmittel, in hitzigen Krankheiten. Augsburg 1781. 4.

Signa materiæ *deorſum turgentis* ſi adſint, purgans dare opportet, cum ſi etiam emeticum dederis, id plerumque in purgans vertatur.

Sunt autem ea ſigna, e quibus colligis materiem inferiora abdominis occupare, & exitum per alvum quærere, ſequentia: flatus, borborygmi, leves dolores colici, abdomen plenum, tenſum, anxietas, & ven-

tris

tris pondus; alvus aut conſtipata, aut fluens fœcibus olidiſſimis, flavis &c.; dolor lumborum, artuum inferiorum pondus, dædolatio, dolor.

His præſentibus aut omnibus aut pluribus, purgatio inſtituenda ſequentibus modis:

1) Purgantia ſint *mitiora*; exulent reſinoſa, aloëtica &c.

2) Sint plerumque per epicraſin data; nam purgans mite quidem, at in corpore febriente pro una vice datum iuſta doſi, magnos ſæpe tumultus facit, & alvi diuturnos fluxus, quod extra febrim non feciſſet.

3) Purgantia ſint utplurimum forma liquida, & in largiori vehiculo; ut ſtimulus purgantium modice infringatur hoc liquido, utque ſit idem remedium & *ſolvens*, & *diluens*, & *purgans*.

4) Danda ſunt ea purgantia materia ante probe diluta, & ad evacuandum parata potu multo, naturæ ſaburræ pariter oppoſita. Eadem remedia purgantia, ſi in copioſiori vehiculo per epicraſin dentur, erunt aptiſſima ſolventia.

5) Uſitatoria purgantia ſunt manna, tamarindi, eorum pulpa, caſſia, quæ bilioſos probe purgant, ſalibus armata. Rheum cum ſale medio, cum cremore tartari, magneſia.

Hæc diſpoſitio & præparatio materiæ ad exitum eo magis eſt neceſſaria, ſi metaſtaſis ad nobilem aliquam partem aut jam facta, aut ſaltem metuenda ſit. Exibito enim his præmiſſis emetico, impacta facilius loco moventur, & univerſum nervorum ſyſtema ad expellendam hoſtilem materiam blande exſtimulatur. Hinc *Stollius* ſequentem in metaſtaſibus obſervandum canonem conſtituit. *a*)

„ In omni alienæ materiæ ad viſcus aliquod periculoſo decubitu, inter alia præprimis ſpectare ſoleo, an hærens alicubi materies moram idcirco faciat, quod vis vitæ nimium dejecta molem ulterius promovere haud potis ſit, quo in caſu veſicantia & cardiaca promptam ſæpe operam ſemper ferunt; vel vero, an *valentibus adhuc vitæ viribus* hoſtilis materies tumultuarie impetum, & pleno agmine faciat. Hoc rerum ſtatu urgere vires cantharidibus, aut ſtimulis quibuscunque aliis haud conveniret. Hic potius irruenti hoſti cedendum pauliſper eſt, & amplianda ſpatia, ne intra anguſtias concluſus ſibi ipſimet exitum præcludat. Hic ſanguinem demo, cauta utique manu, & parce, & per vices; & demum potu fotuque emolliente vias conor expedire.

„ Id

„ Id maxime in metaſtaſi ad pulmones & ad caput facta, plena diſcriminis utraque, facere conſuevi. Delicatiſſima in praxi medica ea res eſt, ubi ob periculum ſumme præceps, in arena conſilium capiendum. Verum quemadmodum in multis aliis, ita etiam hocce in caſu evidentes canones ſtatui non poſſunt, quos omnis & facile intelligat. Prudens omnium, quæ ægrotum ſpectant, & adcurata æſtimatio, quam uſus artis aſſiduus, varius, indicioſus, multaque meditatio comparaverant, agendorum in re præcipiti rationes ſecurius ſuppeditabunt. "

n) *Stoll* Rat. medendi T. II. p. 120.

CONVALESCENTIA.

Si febris slbilioſa ſimplex, impermixta, neque ob accenſam bilem nimis exorbitet, diluta ad exitum præparata materie, & evacuationibus gaſtricis juxta rectam indicationem inſtitutis, omnia ſenſim ſymptomata cum ipſa febre miteſcunt, & largis tunc nocturnis ſudoribus, qui primis morbi diebus cruditatem manifeſtabant, fidiſſimi nunc redituræ ſanitatis indices ſunt, atque æger ſub uſu

 ace-

aceſcentium, alvum leniter aperientium remediorum ſanitatem recuperat.

At ſi vehementior morbus fuerit, aut inepta medela acceſſerit, virium præcipua ratio habenda eſt, quas victu & medicamentis oportet erigere. De diæta & methodo medendi reſtaurante ſequentia notanda ſunt.

1) Parce cibandi ægri ſunt, ſed frequentius

2) Victus potius animalis, & ex teneris carnibus paratus requiritur, quam vegetabilium. Victus vegetabilis, fructus horræi tam cocti quam crudi, oleraque ventriculi laxitati favent, eandemque nutriunt. Materiem egregiam præbent, ait *Tiſſotus*, caro vituli probe nutriti aſſata; ejusdem animalis lingua, thymus, pancreas; agnus tener; pulli gallinacei; e piſcium genere perca, luſcius iunior, fario, ſalmo, trutta ſalmonata, thymallus, cipryni fluviatiles in locis quibus ſunt indigenæ, dummodo omnia ſic condiantur, ut nec pinguedine, nec nimio aromatum doſi alienæ omnino concilientur vires. Ex oleraceis adhibentur radices teneræ ſiſari, tragoponis, ſcorſoneræ, daucorum nonnullorum; folia cichorei, acetoſæ, lactucæ, ſpinachicæ; de duobus poſterioribus notari tamen velim, quod nimis laxante

&

& refrigerante virtute ſæpe vel in ſtomacho diu immutati retineantur, vel diarrhæam, qua incocti abducuntur, moveant.

3) Victum aquoſum, meris fere juſculis conſtantem pariter non eſſe analepticum, vires ægroti non refocillare, ſed alere ſolummodo ventriculi debilitatem. Sunt, qui ſæpius per diem juſculis, potibus theatis tempore reconvaleſcentiæ utuntur; verum prava praxis hæc eſt; nam hac ratione tunicæ ventriculi juſculis hiſce tepidis, continuo ſorbillatis, quaſi in balneo perpetuo aquæ tepidæ macerantur, enervanturque.

4) Omnibus debilibus ipſa adeo roborantia medicamenta doſi admodum exigua & frequenti propinari debent. Pulveres languentibus raro conveniunt, niſi doſi avara dantur, & in tenuiſſimum pulverem contriti. Cortex e. g. peruvianus egregium roborans & ſtomachicum eſt, ſed parum & frequenter exhibeatur. Cortex hic longe alia doſi dari debet, ſi ſcopo antifebrili exhibeatur, & alia itidem, ſi ſcopo roborante; febres non jugulat, niſi largis doſibus ingeſtus, languentem ventriculum non roborant, niſi doſi parciſſima, & frequenter repetita aſſumptus. Ventriculum delicatum ipſa medicamenti, utut indicatiſſimi, copia offendit. Neglecta

ѐta hæc cautela facit ſæpius, ut medicus miretur, quod ingeſta licet tanta corticis peruviani quantitate, vis ventriculi coctrix nihilominus magis itentidem torpeat, dejiciaturque. Ex ampliſſima roborantium medicamentorum claſſe huc præcipue pertinent extracta amara, decoctum corticis peruviani, infuſum abſynthii vinoſum, elixir ſtomachicum temperatum. In nonnullis ægris nullum par remedium invenit *Tiſſotus a*) mixturæ ex uncia una vini ſyracuſani æquali quantitate aquæ fontanæ & dimidia ſyrupi ceraſorum vel ſucci citri ter quaterve de die hauſtus ne minimum quidem calefaciens, ſed temperante potius vi gaudens, appetitum, vires & animos erigens, coctionem & ſecretiones juvans. Diæteticorum eſt porro alia potio, quam ſæpe idem *vir Illuſtr.* convaleſcentibus præſcripſit, ſcopo fibras laxas ventriculi reſtituendi, ſimulque quisquilias putridas, ſi quæ ſupereſſent, prorſus delendi, ſpiritum ſcilicet ſalis cum ſyrupo corticis aurantiorum, & aqua vel fontana, vel ceraſorum nigrorum aquoſa. Motus demum in aëre campeſtri, præcipue equitatio, curationem abſolvunt.

a) l. c. p. 82.

ſ)

5) Etſi poſt febrem bilioſam roborantia indicentur, nihilominus neceſſe eſt, ut alvus ſemper aperta ſervetur, tunc aut aliquid rhei, aut ſalis cujusdam medii addi debet.

RELAPSUS.

Si temporis menſuram ſpectes, medium inter phlogiſticas & pituitoſas febres locum febris bilioſa tenet, at præ utraque frequentius ægrum de novo corripit. In Epidemia bilioſa a *Celeberrimo Fink* deſcripta, quinque potiſſimum cauſſarnm relapſus excitantium genera obſervata ſunt:

1) Neglecta methodus diluens & evacuans.

2) Præmaturus roborantium uſus.

3) Abuſus victus animalis, lactis & ciborum difficilis digeſtionis.

4) Perfrigerium corporis; aër frigidus & humidus.

5) Animi pathemata, menſes ſuppreſſi, aëris impuritas, ſordities, morbi alii.

Quæ omnia tum novam materiem bilioſam generando, tum vires ventriculi dejiciendo, & magna, in turbando ſecernendæ bilis negotio efficacia, ſummopere nocent.

PER-

PERVERSA MEDENDI METHODUS.

Quamquam antiphlogiſtica methodus, & venæ ſectio, ſi indicationes ſupra recenſitæ deſint, omnino reprobandæ ſint, æque tamen damnoſa eſt in bilioſis febribus oppoſita methodus calefaciens & aromatica, antequam ſyſtema gaſtricum a ſordibus liberum ſit, & antequam verus virium defectus horum exhibitionem largam flagitet.

Medicamenta calida in morbis a bilioſa colluvie ortis propinata mille diros effectus generant: 1) morbum ſæpe pauco remediorum apparatu, vel & ſua ſponte curandum, gravem reddunt, quod materiem crudam adeo non eliminant, ut eam potius intra humorum oceanum urgeant, 2) Medicamenta calida materiam hance morboſam ad ſuperficiem corporis vi adigunt, unde petechiæ & miliaria procreantur, ſed prava, non ob peculiarem quandam earum macularum malignitatem, ſed ob malignam cauſſam productricem. Falſum equidem eſt, nullas dari efflorefcentias, niſi quas ars & regimen calidum producit; nos enim in ſumma antiphlogiſtica methodo petechias vidimus, vidimus etiam ſua ſponte, natura hanc viam affectante, ortas maculas petechiales; nihilominus tamen veriſſimum manet,

net, hæcce exanthemata in ægrorum perniciem prava utplurimum arte, & regimine calido generari. Hæc methodus id quoque mali producit, ut materies bilioſa ad encephalon, ad originem nervorum deferatur, in minutiſſimis vaſculis impingatur, & ſtamina vitæ vellicet corrumpatque; hinc deliria, tendinum ſaltus, convulſiones, quas res morbus ipſe ſæpe producit, & methodus noxia auget, & intendit. Præterea, qui hac methodo tractantur, iis colluvies in gaſtrico ſyſtemate aliqua ex parte reſtitans concluſaque ob ipſam morbi diuturnitatem, & ob proclivitatem in putredinem acrior redditur, & tandem corroſivi quid adquirit, quod inteſtinis peſſimam inflammationem affricat, quæ paulo poſt in gangrænam viſcerum abdominalium tranſit. Hinc fit, ut in cadaveribus hoc morbo, vel potius hac methodo defunctorum, abſceſſus ichorem, non vero pus continentes, vel in cerebro, vel in thorace, vel alio in viſcere, & fere ſemper inteſtina in putrilaginem verſa deprehendantur. Male concluditur ex repertis ejusmodi abſceſſibus, morbum fuiſſe inflammatorium ex ſua natura. Quædam nunc horum calefacientium & excitantium remediorum ſeorſim contemplemur.

No-

Nocent præcipue *cardiaca* in febribus bilioſis. Quot ſunt cauſſæ debilitatis, ait *Illuſtr. Tiſſotus*, tot cardiacorum genera; non aliud enim datur cardiacum, quam quod debilitatis cauſſam tollit. In atonia vires erigunt acerba ſtimulantibus, vinoſis, ſpirituoſis mixta. In defectu bonorum ſuccorum nutrientia; utraque augebant debilitatem, quæ initio morbi ægros noſtros opprimebat. Vires enim dejectæ videbantur, ſed id fiebat ob morbum bilis, & purgatione reſtaurabantur. Et re patuit, emeſin aut alvi ductionem cardiacorum effectus præſtitiſſe. Sapienter itaque docuit *Albertus a*), *lipothymiis, quæ nonnunquam in hac febre occurrunt, analeptica & nervina remedia non conducere, quamdiu adhuc materia peccans bilioſa continetur, quare & hiſce animi deliquiis non melior medicina parari poteſt, niſi quæ bilioſæ materiæ evacuationem facilitat.* Calida verum, ſpirituoſa, imo vinoſa omnia exacerbabant, ſtimulum & calorem augendo, evacuationes præpediendo, & materiam morbidam more ſudoriferorum impingendo: quod intelligere nequit *profanum vulgus*; ſed confeſtim, ſimul ac labuntur vires, ad ſtimulantia, & juſcula ſucculenta & aromatica, haud ſatis damnanda praxi, confugit. Fide tamen aſſevero,

ni-

nihil plus damni ægris affert, pluresque nefandus mos tradidit letho, qui fauſte evaſiſſent, ſi perſuaſum eſſet plebeianis mentibus, & quot ſunt plebeianæ mentes! 1) diu vivere poſſe hominem ex aqua pura fontana, aut tenui ptiſana, nec quemquam in acutis morbis ex alimentorum defectu mori. 2) ſpirituoſa & nutrientia initio ſemper febrium, alias ſæpe febrim augere, medicamentorum vires infringere; 3) nulla eſſe cardiaca, niſi quæ morbi cauſſam deſtruunt; 4) ſelectum inde medicamentorum rem eſſe vel peritioribus ſæpe difficilem, & longe extra mulierculæ provinciam poſitam; 5) errorem hic peſſimum eſſe, ſiquidem quod uni cardiacum eſt, idem alteri fit venenum.

a) *Alberti* Praxis generalis. p. 169.

Veſicantia minus convenire in febre bilioſa, facile patet, ſi effectus hujus remedii in corpus humanum conſideramus. Cum enim alvi & urinæ excretiones inde langueant, atque hæ viæ materiæ morboſæ eliminandæ adeo opportunæ claudantur, ad majorem utique gradum febris evehitur. Præterea a cantharidum ſtimulo bilioſi humores magis ad caput & verſus cutis peripheriam urgentur, ut inde periculoſæ metaſtaſes metuendæ ſint.

Opium autem præprimis ægris bilioſa febre correptis nocet. Medici, qui ſymptomatibus magis, quam ipſo morbo medentur, cum ſummam agitationem, cephalalgiam, & pertinaces vigilias obſervant, ad narcotica confugiunt, & opium larga manu propinant. At recte monuit *Alberti a)*, *quamquam communis illa methodus ſit, in hac febre ſymptomata per anodina mitigare, tamen juxta vulgarem uſum pernicioſa ſunt, & illa tum ad vigilias acerbiores, tum ad capitis dolores valde diſſuadeo.* Pluribus autem modis in febre bilioſa opium nocet; 1) laxitatem fibris inducendo; 2) evacuationem materiæ bilioſæ cohibendo; 3) actionem nervorum impediendo.

a) *Alberti* l. c. p. 769.

PROPHYLAXIS.

Non ſatis colitur prophylactica medicina, monente *Illuſtr. Tiſſot a)*; bene multi ſunt morbi, quos attente conſideranti prævidere liceret, pluribus diebus ante primum impetum, & perſuaſum habere, morbum prævisum vel omnino præſcindi poſſe, vel ſaltem mitiorem reddi.

a) l. c. p. 179.

Sum-

Summa autem præſervationis hæc eſt, ut cauſſa, quæ omnium frequentiſſime hanc febrim excitare valet, omni ſtudio evitetur. Experientia autem conſtat, nihil magis ad febres biliofas excitandas eſſe idoneum, quam perfrigerium æſtuantis corporis, etſi victu cæteroquin vegetabilium homines utantur; hinc urente ſyrio umbras & frigora captare, præſtat, quam corpus æſtivis ſolibus exurere, vel quod pejus adhuc, ſudoribus diffluens corpus repente perfrigerare. Præterea ſequentes ab *Illuſt. Viro* datæ indicationes obſervandæ ſunt. 1) Ut paulo minor ſolito doſis alimentorum quotidie ingeratur; nihil enim magis conducit, ut ſenſim referantur, & evacuentur viſcera. 2) Ut cibi ſint e genere morbo minus faventi, quales ſupra recenſuimus; potus ex aqua fontana, aut vino mixta, vel grate acidulata; huc etiam pertinet uſus moderatus fructuum horæorum aceſcentium. 3) Aër calidior vitetur, moveatur corpus, & laxa ſervetur alvus, cui ſcopo præter prædictam diætam egregie inſervire poteſt cremor tartari, jejuno ventriculo, cum aquæ ciatho ad drachmam unam hauſtus. 4) Et præſertim obſequendum eſt monito Itali philoſophi, hilariter vivere: obſervavit *Tiſſotus*, illos omnes, qui poſt animi pathema triſte

decumbebant, fere ſemper occubuiſſe, etſi morbus primo intuitu gravior non videretur; ſive ob generatam cacochymiam, ſive ob deperditionem virium, quas proſternit anxietas, & quibus deficientibus nulla ſanatur ægritudo.

COROLLARIA PRACTICA.

Ex iis, quæ hucusque de febre bilioſa dicta ſunt, facile patet, ampliſſimam eſſe morborum bilioſorum familiam, cum multiplex omnino ſit humoris bilioſi degeneratio, & cum aliis tum ſolidorum, tum fluidorum vitiis, imo cum variis etiam febribus complicatio.

Id quoque patet, quando emeticum, quandove purgans locum habeat; præſentibus nempe iis ſignis, quæ materiam bilioſam aut ſurſum, aut deorſum turgere ſignificant.

At gravior utique quæſtio eſt, quousque methodus evacuans, ſeu per vomitum, ſeu per alvum, repetenda protrahendaque ſit. Primo itaque diſquiramus, quoties, & quibusdam dierum intervallis emeſin oporteat repetere. Plerumque unicum ſatisfacit emeticum, in initio datum, & corpore præparato

to ad vomendum; nihilominus ſequentes regulæ obtinent.

1) Si febris inſigniter infringatur poſt primum emeticum, id repeti non debet; etſi oris multa illuvies adſit, etſi ſapor adhuc ſit amarus; reliquiæ febriles remediis eccoproticis feliciter tolluntur.

2) Quo febris bilioſa *acutior* eſt, & *elatior*, quo corpus ægri antea fuerat magis ſanum, eo rarius repetere emeticum oportet. Obſervavit ſæpe *Stollius*, viros, aut juvenes robuſtos, ſanos antea, nunc valida, acuta febre bilioſa correptos, quibus, præmiſſa ſolvente methodo unicum emetico-catharticum febrim omnem abſterſit; ubi e contrario *repetita* emeſi opus fuerat in febre bilioſa *fœminarum*, earum præcipue, quæ ætatis florem jam ſuperarunt; in illa febre bilioſa, quæ non *repente*, ſed pedetentim invadebat, quæve adventus ſui ſigna pluribus ante febrim ſeptimanis exhibuit.

3) Repeti frequentius emeticum debet, ubi ægri non tam bilem copioſam, ſed potius mucum vomunt amareſcentem, in fila ductilem, & pendulum, & copia pauca.

4) Quodſi emeſeos repetitione opus ſit, præter unum, duos, vel & tres dies interponere inter binas emeſes, & interea ſolventi-

bus, attenuantibus, uti & corpus ad ſubeundam novam emeſin præparare oportet.

Idem de purgantibus valet. Grave hinc *Sydenhami* monitum. „ Hoc ſedulo obſervandum eſt, quod in hoc febris genere (perinde ac in rheumatismo ; & aliis morbis quamplurimis, quorum curatio ſolis evacuationibus abſolvitur) ſi dictis evacuationibus pertinaciter inſiſtamus, usque dum ſymptomata omnia prorſus ablegaverimus, ſæpius ægro non niſi morte medebimur. Neque ita inſolens eſt, ut ſymptomata quædam leviora, & quaſi effœtæ febris reliquiæ, aliquantiſper etiam exſpirante jam morbo, perdurent; a quibus tamen nullum ægro recidivæ periculum eſt, quæque ſua ſponte pari paſſu, quo ſanitas redit, abſcedent. Quid quod jam recitata ſymptomata haud raro nihil aliud ſunt, quam reiteratarum evacuationum, quibus medicus morbi curationem tentavit, vera progenies; ſi huic ſaltem addamus in cauſſæ partem, exanitionem illam, quam ægris a conſuetis cibi potuque abſtinentia ſuperinduxit: quæ omnia, cum in corpora jam a morbis infirmata, & pene confecta vim fecerint, *vapores*, quos dicunt, haud aliter elevantur, quam in fœminis, atque eandem plane ob rationem, ob debilitatum ſcilicet fractumque

ſpi-

ſpirituum animalium ſyſtema. Quapropter poſt factas, quæ tollendo morbo ſufficere queant evacuationes, prudentis medici eſt, ab importuna earundem ordinatione ſibi temperare, & pauliſper attendere, quid *tempus*, medicorum ſæpe feliciſſimus optimusque, ad leviculorum iſtorum ſymptomatum depulſionem conferre poſſit. *a*) "

a) *Sydenham* Opera. p. 536.

Quænam ſit cognatio, variatio, ſucceſſiva degeneratio humorum, qua multi alii ex bilioſis morbis originem ducunt, aut una cum illis regnant, tum in his commentariis, ubi de illis morbis ſermo incidit, tum in alio de chronicis affectionibus opere, uberior diſſerendi occaſio erit,

Expoſita hucuſque de febribus bilioſis doctrina, hiſtorias quasdam morborum ex L. c. *cl. Hæberl* addo, quibus morbi hujus decurſus & medendi methodus præcipue illuſtratur.

HISTORIA MORBI I.

Juvenis 18 annorum, ſcriniarius, haud ita robuſti corporis homo, 22 Maji ſubito

abſque nota cauſſa excitante horret, ac dein calet, oborto ſimul dolore punctorio lateris cum tuſſi & cephalalgia; adpetitus proſternitur, nauſeat, vomiturit. Eadem ſubſequis diebus continuo infeſtant.

25 Maji noſocomium adiit. Deprehenſa in ægro hæc ſunt: aſſidua febris, capitis dolor, lingua impura, albicans, flaveſcens verſus ejus radicem; vomituritiones; adpetitus dejectus; reſpiratio difficilis; dolor lateris punctorius, aſſiduus, fixus, ad externam attrectationem non major, major vero tuſſi & inſpiratione; levis thoracis oppreſſio ſub tuſſis inſpiratione itidem moleſtior; cardialgicus dolor cardialgiam attactum utcunque ferens; alvus tarda, non omni die ſoluta; cutis flaveſcens, ſicca; pulſus plenus, fortis, ac ſubdurus: medicina ægro hac die antiphlogiſtica generoſior facta eſt; phlebotome inſtituta, cataplasma emolliens humidum tepidumque dolenti lateri adplicatum; interne potus antiphlogiſticos, tepidos, nitroſos hauſit; alvus clysmate provocata.

26 Maji: dolor lateris punctorius vix ullus; thoracis oppreſſio aucta; cætera eadem; ſanguis detractus cruſtam craſſiuſculam exhibuit: nova venæ ſectio in brachio lateris adfecti, cum cæteris heſternis.

27.

27, 28. Rediit dolor punctorius lateris: oppreſſio thoracis cum cæteris ſymptomatibus eadem ferme: potus antiphlogiſticos, tepidos, nitroſos hauſit; externe cataplasma continuatum eſt.

29 Maji: Symptomata adfecti thoracis mitiora, mitior & febris, ſaburræ ſigna manifeſta, ſubdelirium. Heſterna remedia antiphlogiſtica.

30. Symptomata adfecti thoracis nulla; ſaburræ indicia aucta, auctum & delirium, cum furore ſubinde conjunctum. Datum eccoproticum ſalinum, cum diluente potione decocti graminis, ablato cataplasmate.

31 Maji: Febris cum delirio omni deceſſit. Noctu placide obdormivit.

1 Junii reconvaleſcentiæ primus dies. Sumpſit hoc, & per aliquod præterea dies iene quoddam eccoproticum ſalinum, atque ſic in priſtinam ſanitatem rediit.

Notandum eſt, in ægro per primos reconvaleſcentiæ dies, ab omni licet febri immunis eſſet, linguam tamen impuram perſtitiſſe, urinasque craſſas ac jumentoſas, ſedimentoſasque fuiſſe. Sæpius id in febribus ſaburralibus contingit, unde quidam male iterandi emetici, vel purgantis indicationem deſumunt; linguæ enim impuritas extincta omni febre,

ni alia ſimul ſigna luculentiora adſint, non tam ſaburræ præſentiam, quam læſas, vel nondum reſtitutas vires coctrices arguit.

HISTORIA MORBI II.

Homo 23 annorum, molitor, ante hunc morbum bene ſanus, 15 Maji horreſcit incaleſcitque, cum catarrho & pectoris aſſidua oppreſſione; os amareſcit cum adpetitu dejecto & alvo leniter diarrhæica. Hæc omni die aſſidua ſymptomata perſtant.

21 Maji in noſocomium ſuſceptus eſt, in quo examinatus exhibuit: febrim aſſiduam, cephalalgiam, temulentiam, ſuſurrus aurium, linguam cum flavedine albeſcentem, ſaporem oris amarum, adpetitum dejectum, nauſeam, vomituritionesque; reſpirationis difficultatem, oppreſſionem thoracis continuam, auctam tuſſi & reſpiratione; ſputa ſanguine ſtriata; in abdomine dolor ad umbilicum protenſus ſub tuſſiendo; alvus ſæpius de die mota; color corporis naturali paulo major; pulſus citatus, plenus, ſubdurus. Peripneumoniam veram cum manifeſtis ſaburræ indiciis hunc morbum diximus. Larga venæ ſectio in-

inſtituta eſt; interne potus emollientes, nitroſos, tepidos hauſit.

22 Maji: Noctu quies nulla; ſanguinis profluvium ex naribus; ſputa multa ſanguine ſtriata; pectoris oppreſſio eadem ac heri; febris cum ſymptomatibus ſuis heſterno vigore; ſanguis eductus cruſta phogiſtica ſubflaveſcente obductus erat: nova venæ ſectio inſtituta, cum heſternis remediis internis.

23. Noctu obdormivit, & multam noctis partem placide quievit; ſanguinis e naribus profluvium, os amarum, vomituritiones, ſputa multa, puriformia, oppreſſio thoracis nulla, ne ſub tuſſi quidem; calor naturali notabiliter major, pulſus heſternis celeriores. Videtur peripneumonia ſputis modo vix non integro judicata, vitium ſaburrale vero auctum eſſe. Convenire putabamus jam remedia antiphlogiſtica mitiora, ut inflammationis recrudeſcentia præcaveretur, ſimulque antibilioſa: datum eſt decoctum graminis cum multo oxymelle.

34 & 25. Idem ſtatus, eadem remedia.

26. Nulla prorſus oppreſſio thoracis, tuſſis nulla, ſaburræ ſigna aliqua, febris pauca. Decoctum graminis, pro potu communi hauſit, ſimulque mixtura antibilioſa, leniter

ec-

eccoprotica ex cremore tartari & roob ribeſiorum data eſt.

His remediis per aliquot dies uſus, ad integram, qua antea uſus erat, valetudinem pervenit.

HISTORIA MORBI III.

Puella 15 annorum, menſes nondum paſſa, 14 Junii absque nota cauſſa, ſubito horrore corripitur, quem ſubſecutus calor ſolvit; nauſeat, vomiturit, vomitque ſponte quædam bilioſa, porracea, ſimulque moleſtam thoracis oppreſſionem doloremque punctorium lateris ſentit.

16. Junii in noſocomium ſuſcepta: adparuere in ægris febris acuta, continua, cum cephalalgia, ſapore oris depravato, vomituritione, reſpirationis aſſidua difficultate, ob dolorem preſſivum pone ſternum, & dolorem punctorium lateris, tuſſi & inſpiratione auctum: tuſſis pauca ſiccaque; decubitus in utrumque latus æque poſſibilis; abdomen turgidulum; hypochondrii ſiniſtri obtuſus dolor; alvus facilis; calor corporis naturali multo major, mordax; color faciei luride flaveſcens, ſubicteritius; pulſus valde celer,

ſub-

ſubdurus. In hac ægrailioſam febrem cum manifeſta, quamvis leviori tantum pulmonum ac pleuræ inflammatione, conjunctam eſſe apparuit. Medicina hinc antiphlogiſtica pariter mitior facta eſt; decoctum antiphlogiſticum nitroſum tepide hauſit, adpoſito externe dolenti lateri cataplasmate emolliente.

17. Junii. Febris bilioſa cum ſymptomatibus ſuis aucta; emendata notabiliter inflammati thoracis ſymptomata. Potus antiphlogiſtici, nitroſi, tepidi continuati, cum mixtura leniter eccoprotica.

18. Junii. Dormivit aliquam noctis partem; primo mane paroxysmo corripitur, quo fors auſpicato bilioſa continua in intermittentem tertiana abitura eſt. Signa inflammati pectoris prorſus nulla, ſaburræ ſurſum turgentis multa; alvus aperta. Finito penitus paroxysmo, emeticum ex ipecacuanhæ ſcrupulis duobus, & tartari emetici grano uno.

19. Junii. Vomit multa ſaburralia, bilioſa; febris prorſus nulla. Reconvaleſcentia ex febre bilioſa *continua*, & pleuropeipneumonia. Eccoprotica ſalina.

20. Junii. Mane paroxysmus febris eadem hora rediit, qua nudius tertius, isque multo gravior fuit. Mixtura ex arcani duſpli-

plicati dr. ij, & oxymel. ſimpl. unc. ij. & aq. fontan. unc. VI.

21. Junii. Dies apyreticus. Inſultus rheumatici circa pectus. Mixtura ex aqua & roob ſambuci, cum drachmis ij. arcani duplicati.

22. Junii. Hodie febris paroxysmus redire debuit; cum vero non redierit, incipit ægra tempus integræ convaleſcentiæ agere. Sumpſit tempore hoc, ut alvus quotidie reſponderet, mixturam ex aqua menthæ cum drachma una arcani duplicati; demum electuarium antifebrile, ſcopo tonico.

HISTORIA MORBI IV.

Fœmina 40 annos nata, mortuo marito continuo mœrore, pervigilio, & rerum inopia conflictata, 26. Maji febre corripitur continua, quæ, quantum ex ægræ narratione conjicere potuimus, bilioſa fuiſſe, & in putridam abiiſſe videtur. Curata in quodam noſocomio ab hoc morbo ad hunc usque diem ſana utcunque perſtitit. 3tio Julii absque nota cauſſa occaſionali, iterum febrire incipit, febre continua, cum magna artuum dedolatione, & totius corporis laſſitudine.

9. Julii in noſocomium ſuſcipitur. Inſtituto examine inventa hæc ſunt: febris continua, cephalalgia, lingua impura, anorexia, dolor abdominis & hypochondriorum ad rudiorem attactum non acerbior; alvus tarda, calor corporis naturali vix major; habitus corporis flaveſcens, ſubicteritius; pulſus non pleni, non fortes, ſed ad debiles propius accedentes, corpus & morbo prægreſſo, & diuturno mœrore fractum. Bilioſam febrem hunc morbum eſſe, dictum eſt, ſed putridæ febri valde contiguum, in eo tamen adhuc ſtadio eſſe, ut ægræ debilitas evacuantia gaſtrica ferre poſſit. Data eſt mixtura ex arcani duplicati unc. β, oxymel. ſimpl. unc. i. & aqua fontis unc. VI, cum decocto graminis pro potu ordinario.

10. Julii. Nox inſomnis, ſapor oris intenſe amarus, vomituritio, abdomen dolens, tympanitice elatum; alvus aliquoties liquata: emeticum ex ipecac. ſcrp. ij, & tartari emetici grano uno.

11. Julii. Septies vomuit, ſæpius dejecit; nox quieta; caput vertiginoſum; os adhuc amarum; lingua purior; vomituritio nulla; dolor abdominis nullus. Febris pergit, ſed imminuta valde. Eccoproticum ſalinum,

12. Julii. *Heri verſus meridiem* ægra incaluit, & ſatis multo ſudore manavit, cum pulſu erecto, multoque quam ante vegetiori: hodie febris nulla; videtur hinc paroxysmus hic initium intermittentis ac finis bilioſæ febris fuiſſe. Solvens ſalinum datum eſt.

13. Julii. Paroxysmus heri non rediit, omnia bona; debilitas virium: reconvaleſcentiæ ſtadium ingredi videtur, quod egit ſub uſu tonicorum & lenium eccoproticorum.

HISTORIA MORBI V.

Faber ferrarius 27 annorum, ante menſem ex bilioſa febre convaluit, ſed ut videtur, haud ex integro. 10. Julii caput moleſte tinnire, preſſari regio epigaſtrica, totumque corpus laſſari, ſine ullo caloris frigoriſque ſenſu.

15. Julii in collegium practicum ſuſcipitur. Inſtituto examine deprehenſa eſt febris continua cum notabili capitis confuſione, παννυκοια, lingua impura, ſicceſcente; ſapore oris nullo, difficili ſpiritu, ob ponderis ſenſum aſſiduum in regione epigaſtrica, alvo naturali frequentia, pulſu naturali celeriore. Febrim eſſe bilioſam putridam diximus,

mus, evacuantibus gaſtricis nondum inſtitutis. Sumpſit hoc die mixturam ex arcan. dupl. dr. ij. & oxymel. ſimpl. unc. ij. ex aqua fontan.

16. Julii. Febris noctu valida cum ſudoribus nidoroſis, & urinis ſedimentoſis: capitis tinnitus, ſenſuum confuſio, παρεκοια; ſapor oris amarus; pondus epigaſtrii ablatum; alvus ſepties mota; urinæ ſedimentoſæ; pulſus heſterni. Emeticum ex ſcrupulis duobus Ipecacuanh. & grano uno tartari emetici, cum decocto graminis pro potu ordinario.

17. Julii. Vomuit heri quædam amara, æruginoſa cum omnium ſymptomatum levamine, amarore oris intenſiore facto; febris mitior. Eccoprotica ſalina.

18. Julii. Capitis ſuſurri, ſenſuum confuſio aucta, amarities oris conſtans; alvus crebra; pulſus tardiores, quam heri. Decocti corticis peruviani libræ ij cum cremoris tartari drachmis ij & oxymellis ſimplicis unc. ij, cum decocto graminis pro potu ordinario.

19 & 20 Julii. Idem ſtatus, eadem indicatio.

21. Julii. Caput magis levatum; ſapor oris amarus; ponderis ſenſus in regione epigaſtrica; alvus quater ſoluta. Decoctum corticis cum oxymelle.

22. Julii. Eadem.

23. Julii. Pulſus omnino naturales, febris nulla; reconvaleſcentiæ ſtadium, quod ſub uſu remediorum tonicorum egit.

HISTORIA MORBI VI.

Puella 16 annorum tres menſes paſſa, regulares ſemper ac faciles, primis Julii diebus febre tertiana ſimplici corripitur, unaque ſatis atroci rheumatismo artuum. Poſt tertium febris paroxysmum ſucceſſit ophtalmia, cum inſigni oculorum dolore, ardore & luminis plena impatientia.

30 Julii in noſocomium ſuſcepta eſt. Inſtituto examine reperiebatur febris tertiana cum luculentis ſaburræ indiciis, & dicta ocuditione. Data eſt mixtura ſalina ex arcan. dupl. dr. ij, & aqua communi cum oxymelle ſimplici.

31. Julii. Eadem ac heri, nil emendatum; ſaburræ ſurſum turgentis ſymptomata. Emeticum ex ipecac. & tartaro emetico cum decocto graminis.

1. Auguſti. Febris paroxysmus, qui heri redire debuit, non rediit: ſapor oris bonus; oculorum dolor, ardor, luminis impa-

tien-

tientia; aliquoties vomuit amara, ac ſaburralia; ſemel dejecit. Mixtura ſalina ex dr. ij. arcani dupl.

2. Auguſti. Septies heri purgata eſt; oculorum ardor, dolor momento mitior, viſus nullus; motus febrilis heri levis inſultavit. Electuarium corticis peruviani.

3. Auguſti. Febris, quæ ex ordine heri redire debuit, non rediit; alvus bis ſoluta oculorum conditio eadem. Electuarium corticis; veſicans ad nucham.

4. 5. 6. Aug. Eadem remedia cum aliquo, ſed valde exiguo ſucceſſu adhibita.

7. Auguſti. Viſus oculi dextri exiguus rediit, ſiniſter adhuc rubet, doletque, luminis paulo tamen patientior. Eadem remedia interna; retento externe veſicante.

9. Auguſt. Senſim ſine ſenſu emendatur oculorum conditio. Remedia interna eadem. Externe unguentum de mercurio præcipitato rubro ad canthos oculorum, dein ad ipſos oculorum bulbos illiniendum, cum notabili quotidie viſus emendatione.

15. Auguſt. Sub horum remediorum & internorum & externorum uſu uterque oculus maxime emendatus, & ad plenam prope integritatem reſtitutus eſt. Diſceſſit hoc die;

 his

his remediis domi ſuæ per aliquod tempus uti juſſa.

HISTORIA MORBI VII.

Homo 24 annorum natus, auriga, robuſti & quadrati corporis, per dimidium circiter annum rheumatismo artuum laborabat, ſeptimo circiter vel octavo Julii inter horrores æſtusque aſſiduos caput dolere, adpetitus proſterni, artus dedolari, alvus cum torminibus fluere.

21. Julii. In collegium practicum ſuſceptus eſt. Deprehendimus accuratiore examine febrim aſſiduam cum aſſiduo capitis dolore, temulentia, amarore oris; lingua impura, arida, in medio fiſſa; inadpetentia, vomituritiones; reſpiratio incommoda erat ob ponderis ſenſum ad ſcrobiculum cordis per vices; tuſſis rara; præcordia modice tumuere doluereque; imi ventris dolor, attactus externi facile ferens; pulſus & vigore & celeritate prope naturales; alvus creberrima, ſanguinolenta, tenesmoidea, torminoſa ante dejiciendum. Mixtura ex arcano duplicato drachm. iij. cum oxymel. ſimpl. ex aqu. com. cum decocto graminis.

22. Jul. Emendata quædam ex heſternis; caput minus temulentum; lingua minus areſcens, reſpiratio adhuc per vices difficilis; alvus minus crebra, non ſanguinolenta. Heſterna remedia.

23. Jul. Levatus valde æger; nulla febris, aut vix ulla, caput non valde temulentum; ſapor oris amariuſculus; topicum vitium nullum; alvus ad moderamen redacta, absque teneſmo, absque tormine & cruore. Rediret æger ſub uſu eccoproticorum ad ſanitatem; ſed cum & via brevior ſit per vomitum educere ſaburram, & nil obſtet, emeticum datum cum decocto graminis.

24. Jul. Nox placida. Emendata omnia ferme morbi ſymptomata; acida vegetabilia.

25. Jul. Febris plane nulla; alvus naturali frequentia. Convaleſcentiæ ſtadium ſub uſu eccoproticorum aceſcentium.

FEBRIS PITUITOSA.

SYNONIMA.

1) *Febris hyemalis Sydenhami; quæ annis* 1661—64 *ſtationaria fuerat.*

 Glu-

2) *Glutinoſum ſpontaneum Boërhaavii.*
3) *Febris puerperarum Hoffmanni.*
4) *Febris chlorotica. Febris atrophica puerorum.*
5) *Synochus imputris Grantii.*
6) *Febris lenta nervoſa Huxhami; febricula Manninghamii.*
7) *Febris verminoſa.*

CONSTITUTIO PITUITOSA.

Pervenimus nunc ad tertiam febrim cardinalem, ſeu principem a *Stollio* ſtabilitam, cujus & cognitio & ſanatio magnis non raro difficultatibus premitur. Contingit enim ſæpiſſime, ut ex ſola abſentia notarum, quibus aliæ febres diſcriminari ſolent, de hujus febris præſentia certiores reddamur. Accedit, quod, neſcio quo fato, medici ſæculo hoc declinante, ſumptuoſa & deleteria remediorum copia ſuperbientes, lentam feſtinationem, qua ſola naturæ in ſananda hac febre molimina diſcimus, ridicule contemnant.

Hæc febris obſervatur tempore molli, autumno ſero & pluvioſo, atque hyeme auſtrina. Amat loca depreſſa, paludoſa, eſt-

que

que in certis terræ plagis depreſſioribus *en-demica*.

Non æque in utrumque ſexum cadit, ſed in fœminas magis, ac in viros; in obeſos, & ακμην ætatis prætergreſſos, quin imo ſeniculos, item in ſedentarios magis, quam in alios. Sed infantilem & puerilem ætatem æque infeſtat, eos imprimis, qui pulte farinacea, pane malæ notæ infarciuntur potius, quam nutriuntur.

Morbus eſt quoque potius infimæ plebis, quam nobiliorum; potius illarum regionum, ubi carnium, ubi vinoſorum quoque potuum, penuria eſt. Litteratorum, macilentorum, exhauſtorum. Morbus urbium obſeſſarum, nautarum, quoque ſubinde, atque in anonæ caritate frequens; frequens inter plebem, illam maxime, quæ rigoroſius jejunat per quadrageſimam. Puerperas frequentiſſime corripit hæc febris, miliari exanthemate ſtipata.

Cauſſa proxima difficillime ſtatuitur. Quibusdam pituita abundare creditur, confunditurque cum ſaburra pituitoſa.

Baglivius cauſſam quæſivit in infarctu glandularum meſenterii partim, partim in ſaburra primarum viarum pituitoſa.

Quidam in ſyſtemate nervorum irritato, varie labefactato, primam morbi cauſſam poſuere.

Verum alii, miſſis nervis, in ſanguine mucoſo, vappidoque, aut ejus lentore morbi cauſſam quæſivere.

Interim morbus eſt *totius ſubſtantiæ*, non unius humoris.

Verum tamen eſt 1) pituitam abundantem ſæpius deprehendi in ore, faucibus, per alvum &c. 2) Loca *glanduloſa* ſæpius infarcta, tumidaque reperiri. 3) Nimiam eſſe & *morboſam irritabilitatem* ſyſtematis nervei, initio & in progreſſu; ſerius vero ejusdem eſſe *nimium torporem*. Hinc aut hæc tria aſſumi ſimul tanquam *cauſſa proxima* poſſunt, aut ſaltem tanquam *proximi*, *frequentiſſimique cauſſæ proximæ effectus*.

DECURSUS FEBRIS PITUITOSÆ.

Morbus hic ita pedetentim ſuccreſcit, ut pluribus non tantum diebus, ſed etiam ſeptimanis ægrotent, quin id bene advertant, & quin initium morbi exacte ſtatui poſſit. Sunt autem hi prodromi, aut ſymptomata mor-

morbum aut præcedentia, aut inchoantia, hæc ferme.

Laſſitudo præter modum & ſine manifeſtis aliis cauſſis laſſitudinis; triſtitia involuntaria, & hypochondriaſis ſine notis & evidentibus cauſſis; ſenſus ferme aſſidui frigoris, ſine percutiente horrore, ſed quaſi ab atmoſphæra frigidiore, calor tamen ad frontem admota manu major, cum aliqua capitis temulentia, vertigine, minore tamen multo, quam qualis obſervatur inſtante febre putrida. Major in iram, & in omnia triſtia animi pathemata proclivitas. Somni turbati, non reficientes, inter inſomnia & ſudatiunculas non levantes. Dolores vagi artuum, tuſſicula, veluti catarrhoſa, coryza non maturans.

Appetitus perſtans quidem ut plurimum, at a paſtu etiam modico anxietas, præcordiorum dolorifica repletio, & plenitudinis ſenſus cum magna triſtitia; levamen ab enemate lenique purgante. Impatientia lucis plenioris, auditus acutior, & ſæpe ingratus ac dolorificus. Amor ſolitudinis.

Os inſipidum lenteſcente pituita plenum, cum matutino copioſoque ſubin ſcreatu. Raro auſterus ſapor, aut amarus. Hæc fere morbum præcedunt.

Tandem ægri, his prægreſſis decumbere coguntur, ubi præter communia plerarumque febrium ſymptomata, maxime ſequentia ſunt notanda, tanquam morbi characteriſtica.

1) Lentus morbi decurſus, & mutationes in melius aut pejus vix animavertendæ, cum in plures ſæpe ſeptimanas æquali febricula teneantur.

2) Pulſus mire varius, plerumque tamen mollior, debilior, celeriorque; ſubinde repente durus, celerrimus, mox iterum mollis, & fere naturalis; eaque mobilitas in pulſu, uti in hypochondriaſi nervoſa, aut malo hyſterico.

3) Tremor artuum, tendinum ſubſultus, ſeſe convertendi, aut erigendi præ animi deliquio impoſſibilitas.

4) Delirium mite, taciturnum, aut fatuitas, longo poſt morbum adhuc tempore perſtans, aut ſomniculoſa diſpoſitio, ſine ſopore tamen tali, qualis in putrido aut maligno ſtatu obſervatur.

5) Nonnunquam in graviſſimo morbo convulſiones, tetani, opiſthotoni &c. ſunt obſervati.

6) Ceterum lingua humida puraque initio eſt, dein ſicca evadit, rubra, prærubra, arida.

7) Tuſſicula aut etiam tuſſis adeſt, non qualiscunque, ſed veluti *catarrhoſa*, qualem ipſo ſonitu diſtinxeris; catarrhus veluti non matureſcens, ſputis nullis, aut aquoſis. Inde nomen febris *catarrhalis malignæ*.

8) Attactum paulo rudiorem non ferunt ad cardiam; ibidem continua, moderata tamen oppreſſio.

9) Quibusdam abdomen tympanitice attollitur, quibusdam hydropice, aliquibus vero utroque modo.

10) Sæpius dolores diffuſi laterum artuumque ſunt non inflammatorii, ſed rheumatici arthriticique, cum ſæpe hæc febris incidat in tempora frigida humidaque excitandæ arthritidi idonea. Inde fit, ut pro febre *reumathica benigna* ab ignaris ſubinde, ſaltem initio habeatur.

11) Urinæ naturales ſunt, aut etiam aquoſiores, ſine contentis; ſubinde cum ſedimento mucoſo; ſubinde turbidæ, argillaceæ.

12) Sanguis aut naturalis adſpectu, aut glutine ſciſſili, gelatinoſo, cæruleſcente, plumbeo obductus.

Differt morbus hic ab *inflammatoria vera* tardiori decurſu & pulſuum mollitie, aut temporaria ſolum duritie; dein ſubjecti & anni tempore.

A febre bilioſa differt æque, cum bilioſa calores habeat *evidentiores*, & evidentia aburræ ſigna; periculum minus celeriorque in bilioſa decurſus.

Differt a febre putrida, in qua major ſtupor & temulentia, & ſyſtematis nervoſi torpor potius, quam irritatio, ſecus, ac in hac pituitoſa. Nihilominus commune quid intercedit inter hanc lentam nervoſam, & inter eam, quam putridam ſaburralem ſaburra pituitoſa exiſtente, adpellamus. Præterea id verum eſt, tranſire hanc in putridam, cum eaque complicari, uti etiam cum inflammatoria & bilioſa, & intermittente, facillime & poſſe & ſolere.

Priusquam de methodo medendi differamus, juvabit exponere, quibusnam cum febribus ſoleat utplurimum confundi, errore non indifferenti. Sic:

1) Habetur pro *continua remittente*. Subinde plane quoque per aliquot dies *intermittit*. At dignoſcitur ab intermittente vera, ſymptomatibus ſupra expoſitis, & quod, utut frigus querantur, id tamen leve ſit, & calor ad attactum vix major naturali ſuccedat; & univerſim magna in pulſu mutatio non advertatur. Cortex hanc *remittentem*, aut etiam

intermittentem plerumque non tollit. Vidimus ex ejus uſu denuo *continuas* fieri.

2) Habetur pro *pleuritide* & *peripneumonia*, ſaltem *incipiente*, idque ob tuſſim, ſenſum oppreſſionis continuæ, & doloris laterum. Nonnunquam aliquid cruenti extuſſitant. Verum, utut jungi inflammatio thoracis poſſit, tamen *vera* thoracis inflammatio ex ſupra recenſitis ſignis non bene concluditur. Oportet id ſcire, ne multa phlebotomia vires frangas. Dignoſcitur per hoc a vera thoracis inflammatione, quod juſſi alte inſpirare, id libere faciant, thoracem multum attollendo. Id enim eſt potius *rheumaticum*.

3) Pro febre *rheumatica arthriticave* habetur; neque id adeo male. Magna enim eſt cognatio. Incidit enim uterque morbus in *eadem fere ſubjecta*, & eadem anni *tempora*. *Indicationes* aperiendi, reſolvendique utrobique eædem.

4) Pro febre verminoſa imponit, quod *longa* ſit, & *erratica*, & ſæpe cum doloribus ventris rodentibus, vagis, ſubito ortis, ſubitoque diſparentibus; item, quod iidem ſæpe homines eodem tempore ſæpe & hoc morbo verminoſo, & febre lenta nervoſa, ſeu pituitoſa laborent.

5)

5) Pro febre *hectica* nonnunquam habetur ob diuturnitatem, & corporis conſumptionem. In eam ſubinde abit; potiſſimum in iis, qui habitum phthiſicum habent. In his quævis *febris* facile phthiſin invitat.

6) Pro febre *dentientium*. Longa dentitio hanc febrim invitat, uti & rachitidem.

FEBRIS PITUITOSÆ COMPLICATIO CUM ALIIS FEBRIBUS.

Quod de omnibus febribus medici queruntur, eas nempe raro meracas, & impermixtas cum aliis morbis apparere, id de pituitoſa quoque febre potiſſimum valet. Nam cum inflammatorio & bilioſo vitio pituita ſæpe miſcetur. Cum itaque pituitoſa febris ſero autumno & hyeme maxime dominetur, neceſſe eſt, ut cum prægreſſa *æſtiva* bilioſa, atque etiam cum ſubſequa *inflammatoria* adultæ hyemis principe febre conſortium ineat. Primum hujus febris conubium ſobrium requirit antiphlogiſticæ methodi uſum; bilioſum autem admixtum vitium moderatum evacuantium remediorum uſum ſibi poſtulat. Ultimum hoc vitium, cum nempe bilis æſtivis

ca-

caloribus exuſta pituitæ miſcetur, *atrabilaria conſtitutio* a *Grantio* appellatur.

Atrabilariam hanc epidemicam febrem obſervavimus Viennæ in ſchola clinica anno 1786 menſe potiſſimum Novembri & Decembri, quam dein ſynochus imputris rheumatica per urbem & ſuburbia late dominans excepit; atque hac ipſa etiam hyeme 1789—90 eadem febris atrabilaria regnat, ſub imperio tamen febris *ſtationariæ* rheumatico inflammatoriæ.

Quicunque morbi conſtitutionibus humidis graſſantur, plerumque ſunt aut hæc ipſa *febris pituitoſa*, aut ejus quædam *modificationes.* Sic ſero autumno, molli, pluvioſoque & conſimili hyeme, conſtitutio ſæpe *catarrhalis*, catarrhi longi, difficiles, febres catarrhales malignæ dictæ; conſtitutio *aſtmatica* eodem tempore, conſtitutio *apoplectica* &c.

Hinc multi alii morbi, ſeu morboſæ affectiones, febriles & non febriles, tanquam ſatellites, ſeu ægritudines ſubalternæ febrim pituitoſam epidemicam comitantur.

EXITUS IN SANITATEM.

Accurata obſervatio mutationum, quibus natura ipſa morbum hunc allevat, optima eſt medendi magiſtra.

1) Sanatur ſubinde ſenſim ſine ſenſu, absque notabili excretione; id in leviori præcipue morbi gradu obtinet. Subinde enim res intra ſolam pituitoſam diatheſin ſubſiſtit, ut præter minutum deſiderium cibi, & pauculum languorem, & oris mucum redundantem nil ab ordine conſueto aberret. *a*)

a) *Stoll* Ratio medendi T. II. p. 36.

2) Sæpe vomitu levatur morbus. Subinde vomitus ſuapte acceſſit, parcus, pituitoſus, frequens, mirifice recreans, refrigerans, quive caput mox allevabat, fallaci εὐχροια faciei in pallorem ſalutarem converſa, & diſparente rubedine oculorum. Quidam hoc modo quotidie vomitarunt. Hi, ſi forte vomitio tardarat, rubere, æſtuare, eſſe implacidi, & ſenſibus confundi. Vomitio ſponte ſubſecuta miraculi inſtar quietem illico reduxit, ſuſpenſa febre. Hac criſi quotidie ſæpius recurrente, & diebus compluribus vix ullo cum diſcrimine, nec diu ægrotarunt. Verum paucis hac forte potiri contigit. *a*)

a) *Stoll* l. c. p. 34.

3) Alvi quoque fluxus multum ad ſanationem contulit; at debuit is eſſe modicus Magnopere enim juvabantur ægri, ſi bis terve

ve intra nychthemeron dejicerent. *a*) Aliter enim vires ægri labuntur, ut quondam obſervavit *Stollius a*) „ Quibusdam enim alvus continuo fluebat, quin æger inde aut melius haberet, aut multo pejus, niſi nimium flueret, & pluribus ſeptimanis, quæ res tunc vires convulſit. Diarrhæa ejusmodi diuturna, quæ carnes abſumpſerat, & vitæ vim, puellas præ cæteris, & in hisce τας χλώροτερας vexabat, arte plerumque ſuperior, ſeu dato mature vomitorio eam prævertere volueramus, ſeu eandem jam præſentem invigorantibus, roborantibus, adſtringentibus, opiatis inhibere, ſive ſtimulum irritantem mucilagine enervare. Vomitorium qualecunque ventre in hanc diarrhæam jam proclivi, purgantis vices obiit, & quem præoccupare fluxum debuerat, invitavit, præſentemque adauxit. Invigorantia, adſtringentia, opiata nil profecerunt, utpote citius e ventre delapſa, quam ſuas exerere vires potuerant. Periere plures inter aſſiduos id genus ſeceſſus, & paucæ ſervatæ ſunt vino, infuſo decocto radicis arnicæ, decocto corticis peruviani, veſicantibus omni alterno, vel & tertio die applicatis ad loca varia corporis, epidermide relicta. Noveramus cantharidibus cutaneam excretionem augeri, renalem vero alvinam-

que imminui. Verum & hac ratione non niſi laborioſe, & ſero eluctabantur: puſillas virium reliquias, cutem areſcentem, anſerinam, & abſumpta muſculari carne circa oſſa contractam, ac obambulans ſceleton e graviſſimo morbo reportabant: eodem defunctæ languebant per menſes plures, in eundemque ex facili relabebantur, inde non amplius evaſuræ. "

a) *Stoll* l. c. T. III. p. 141.
b) l. c. T. II. p. 32.

4) Alius in ſanitatem exitus diaphoreſi contingit. Sudores non coacti, & morbo provecto exorti, boni ſunt. Cutis ſiccitas diuturna, & ægritudine jam multum promota, malum. Notatu dignum eſt, monente *Huxhamo*, ægrotos in febribus lentis nervoſis nunquam tam bene ſe habere, quam cum moderato ſudore madeſcant; is enim ſubito caloris exacerbationem, humorum celeritatem, ceteraque removet. Aſt profuſus ſudor, nullo unquam tempore, ſpeciatim in principio aut incremento febris augeri, multo minus remediis fortioribus, calidis, volatilibus, alcalinis ſalibus, ſpiritibus, cæterisque provocari debet; ea enim liquidum vitale nimium exhauriunt, ingens ſpirituum dejectio, tremor,

mor, tendinumque ſubſultus ſubſequuntur, ac haud raro rigore, frigido viſcidoque ſudore, ſyncope, aut ad coma proclivitate finiuntur. *a*) "

a) *Huxham* de febribus lentis. Op. T. II. p. 85.

5) Miliare exanthema frequenter in hac febre criticum eſt. In febre pituitoſa a *Stollio* *a*) deſcripta, nonnullis, etſi perpaucis eruptio miliaris prodiit, alba plerumque, rarius rubra, his parca, illis conferta, incerto tempore, nec iisdem ubique in locis, & ſubinde cum ægritudinis levamine. Eo vero in caſu levari morbus hac eruptione videbatur, ubi ea ſerius fiebat, & ventriculo, ventreque repurgato, & non coacta, ac inter ſudores ſpontaneos, largos, protractos. Sæpe tamen miliares hæ eruptiones ſymptomaticæ ſunt, & factitiæ.

a) l. c.

6) Nulla, adnotante *Huxhamo* *a*) melioris præſagii evacuatio eſt, quam ſatis copioſa ſalivatio, ſine aphtis: ubi hæc incidit, & cutis moderata madet, de ægroto meo vix unquam, quamquam debilis & ſtupidus quoque eſſe videatur, deſpero: morbi in fine profecto ſæpius efficit ſurditas, ut ægroti

molto minus, quam revera fieri ſolet, perſentiſcere videantur; non quod varii hac rerum in ratione mortis e manibus effugientes, omnino fiant ſtupidi. *Kæper* id quoque adfirmat. *b*) „Nihil autem eſt frequentius, quam quod autumnali vel vernali quoque tempore, perſeverante diu tempeſtate humida, præcedentibus ſiccis, calidis, ac frigidis ventis, homines plurimi in ejuſmodi excretionem ſalivalis humoris incidant bono omine. Cum enim ſub præcedente tempeſtate multi humores in corpore erant generati, nec ſufficienter per habitum corporis ob poros anguſtiores & conſtrictiones eliminari poterant, hinc ſuperveniente auſtro vel Zephyro fibras corporis relaxando, & conſequenter motum circularem humorum impeditiorem reddendo, reſolvuntur, extricantur copioſæ humiditates critice & ſalutariter. Exinde quoque ratio dari facile poteſt, quare tunc temporis capitis dolores gravativi, odontalgiæ, otalgiæ, diarrhææ, anxietates præcordiorum, tuſſes, rheumatiſmi, catarrhi ſimul hominem truculenter divexent, præſertim ubi impura ſunt corpora, cachectica, vel ſcorbutica.

a) *Huxham* l. c. p. 89.

b) *Koeper* de ſalivatione critica, Halleri diſput. Vol. I. p. 443.

7) Morbo declinante, purgatis primis viis, & humoribus denſis magna potulentorum copia dilutis, pituitoſæ humoris reliquiæ copioſis ſputis ex pulmonibus ejiciuntur. Sputa hæc ſæpe ductilia, ſcriniariorum glutini ſimilia, atque in filum ductilia.

8) Exoptatiſſimus hujus febris exitus eſt in febrem tertianam, vernalem ſcilicet, quæ typum plerumque quotidianæ aſſumit. Fauſtum hunc exitum exſpectat *Grant a*) ſi remiſſiones longiores, exacerbationes veſpertinæ, cum prævio modico horrore, & ſudatiunculis nocturnis, ſomno matutino inſequente; ſi æger appetit, & vires redeunt, ut erectum ſe tenere per diem in lecto poſſit.

a) *Grant* von Fiebern p. 226.

EXITUS INFAUSTI.

Verum etſi mitis ſit hujus febris in initio decurſus, tamen infauſti etiam exitus obſervantur, vel ob propriam ægrorum diatheſin, aut malam cum alia febre complicationem, vel accedente incongrua methodo.

1) Quidam in morbi vigore ſubito epileptici fiunt, aut *apoplectici* pereunt. Tunc autem aqua in cerebri ventriculis, & inter me-

meninges & in theca vertebrarum, tam limpida, quam cruenta reperitur.

2) Subinde pereunt ſuffocati ex hydrothorace, & ex hydrope pericardii.

3) Nonnunquam convaleſcentes jam, & bene valere viſi, excepto oëdemate crurum femorumque, ſubito corruunt mortui, ubi antea obambularent. Serum aut lympha jam ſuſcepta videtur in maſſam humorum circulantium (nam hydropici tumores detumuere plurimum) at vero non ad aptum colatorium, veſicam nempe urinariam, aut poros cutaneos ad alvum deferri, ſed per errorem in aliquod cavum deponi videtur: inde mors varia.

METHODUS MEDENDI.

Multiplici medendi methodo, inque omnem partem verſatili opus erat, ait *Stollius*, in ſananda febre, quæ tam diverſas habebat intenſiones, modos, complicationes. Hinc æger ſingulus remedia, eorum commiſtionem, ad ſe invicem diverſimmode excipientium ordinem, eamque in aliis aliam docere debuerat. Nulla medicina omnibus & ſingulis hac febre detentis ex æquo convenerat,

vix-

vixque ullibi minor reperiundi remedii *ſpecifici*, aut methodi ſaltem ſtabilioris ſpes affulgebat. Ea morbi varietas difficillimam artem & hic, & multis in aliis caſibus reddidit, utpote non concludendam intra cancellos definitos, atque indolis illius, ut regulis adſtringi certis & evidentibus nequeat, quas intelligat quivis, intellectasque facile ſequatur. Vel dare deſcriptos canones in uſus non convertet, niſi qui judicio ſubacto, & ſagaci, ac mira patientia polleat, & artis exercendæ occaſione multiplici non deſtituatur. Ipſa faciliora artis præcepta, quæve deſignari exactius poſſunt, multa a medico exigunt, quæ is e ſua penu conferat, quo præceptiones hæc ſuis caſibus adaptentur. *a*)

a) *Stoll* Ratio medendi T. II. p. 37.

Singula nunc videamus præſidia, quibus febrim hanc pituitoſam oppugnare oportet.

Venæ ſectio ob ſolam hanc febrem, ſi nulla alia ſit complicata venæ ſectionem petens, nunquam indicatur. Etſi conveniat ob complicatam inflammationem, ea *parca* ſit, *exploratoria*, initio morbi, aut & ſerius, ſi fuerint alexipharmaca male ante adhibita. Grave monitum eſt *Huxhami*, ne medicus temporaria pectoris oppreſſione ad ſecandam venam ſe ab-

 duci

duci patiatur: „ Hæc ſpirandi difficultas, anxietas, & nonnunqam præcedit eruptionem miliarem, quæ ſæpius ſeptimo, nono, aut undecimo hujus febris die, & interdiu tardius apparet. Magna ſane anxietas & præcordiorum oppreſſio quamlibet ſemper puſtularum eruptionem in omnibus febrium generibus prægreditur. Quam intempeſtiva & inconveniens tali in re ſit ſanguinis detractio, ubi maxime adhibenda eſt cura, ne naturæ operationes, hæ ſpeciatim, quæ haud raro criſin perficiunt perfectam, turbentur, fugit neminem. *a*) "

a) *Huxham* OP. Tom. II. p. 87.

Purgans ſit eccoproticum, ſolvens, ſalinum, rhabarberinum, initio & in augmento morbi ſolum; non autem conveniunt viribus fractis, morbo miteſcente & ſudoribus ſoluto.

Emeticum *ſubinde*, *initio morbi*, *blandum*, per epicraſin; non ſæpe repetitum. Tartarus emeticus in ſolutione. Exiguæ doſes ipecacuanhæ. Sola inappetentia non ſufficit pro iterando emetico.

Alterantia, uti ſunt ſtibium diaphoreticum non ablutum, exiguæ doſes tartari emetici, item ipecacuanhæ, kermes minerale,

magni uſus ſunt. Sed id habent incommodi, quod inappetentiam augeant nimium data; promovent omnes excretiones, maxime diaphoreſin. Magis conveniunt in progreſſu morbi, inſtantibus aut præſentibus miliaribus. At ægrorum inde quærelæ, & putatitium morbi augmentum & vomitiones non prævisæ neque prædictæ, ægrum & adſtantes ſæpe reddunt anxios. Ægri plerumque hanc methodum accuſant, maxime vini potatores.

Solventia, ſubamara, gramen, taraxacum, eorum decoctum, extracta in aquis modice cardiacis ſoluta, non exiguam ſæpe opem ferunt.

Inter reſolventia remedia principem locum occupant flores arnicæ. Qua doſi, quibusque ſub cautelis eximium hoc remedium ſit exhibendum, in alia horum commentariorum ſectione, de febre ſcilicet putrida, agetur.

Nervina, Moſchus, camphora, parcis doſibus tamen, caſtoreum, ſalia volatilia &c. in morbi progreſſu, viribus fractis, motibus convulſivis præſentibus, indicantur.

Subinde etiam *opium*, utpote cardiacum, ſi nempe diarrhæa ſymptomatica adſit, miliaria inde diſpareant, viribusque projectis, ore

ingeſtum, per anum, ventriculo admotum, varia ratione.

Veſicantia itidem conveniunt. „ Subinde & veſicantia admovebamus, omni alterno tertiove die, Sed plagas veſicante tentatas relicta epidermide exſiccabamus; quippe animus ſolummodo nobis erat, attenuantem cantharidum vim intra humorum alveum immittere. *a*) "

a) *Stoll* ratio medendi Tom. II. p. 39.

Diaphoretica blandiora, ſambucina, ſpiritus Mindereri optime conveniunt. At ſtragulis ſudor non exprimatur.

Nulla magna evacuatio eſt facienda.

Cortex in pulvere raro hic convenit. „ Pauci fuere, quibus præter multam pituitam, inſignis quoque ſolidorum imbecillitas erat, pituitoſæ moli ſubigendæ prorſus impar. Atque hi aut phlebotomiis vires fregerant, priusquam ad nos acceſſerant, aut easdem ad morbum attulerant jam ante dejectas. Succorum, utut pravorum jacturam non tulerunt, & ejusmodi vacuare vomitorio, vel purgante, lethale fuerat. Labantem ſolidorum compagem tunc opportuerat cortice peruviano firmare. Hos ſaturatum ejusdem decoctum nonnunquam juvit: in pulverem vero

ro tritus anxios, nauſeabundos, cardialgia affectos, & pronos in pernitioſum alvi fluxum reddidit. Hoc etiam in caſu a ſalibus abſtinui. *a*) "

a) *Stoll* l. c. p. 40.

Convaleſcentia ex hac febre eſt omnium tardiſſima. Crura omnibus inſigniter tument, & diu; non paucos nocturna tuſſis & oppreſſio thoracis nocturna inter convaleſcendum vexat, adſuntque hydrothoracis quoque ſymptomata; tunc autem ſquillitica proſunt. Quidam convaleſcunt, ſed artuum inferiorum ſuperiorumque dolores veluti rheumatici remanent. Iſchiades femorum internæ.

Pueri, fœminæ, viri mollioris compagis, ſæpius & facilius evadunt, levius ægrotant. At ſeniculi, viri multo labore exercitati gravius, utut rarius inde ægrotant. Facilius multo laxiores, molliores, & ad ſudorem faciles.

Sæpe, dum inter fœminas ſimplex hæc pituitoſa graſſatur, ea ipſa inter viros quoque eſt, ſed cum inflammatione conjuncta.

Cum nulla detur directa hanc febrim curandi methodus, mirum haud eſt diverſas, atque plane oppoſitas ſæpe medendi rationes adhiberi. Noverat *Grantius* duos medicos non igno-

ignobiles, qui has febres oppoſita omnino methodo aggrediebantur. Unus antiphlogiſtica methodo diutius protracta peccabat, rariusque humores evacuabat; alter deſerta mox antiphlogiſtica methodo, nimis cito & nimium evacuabat. Prior ab opio, cardiacis, victu reſtaurante prorſus abſtinuit; alter, quatuor elapſis vix diebus, in medicamentis ſtimulantibus & victu invigorante totus verſabatur. Iniquus ab utraque methodo, etſi diſpar eventus. Ab antiphlogiſtica methodo convaleſcentia tarda, atque imperfecta; oëdemata pedum, virium ruina, verbo, omnia mala ex partium ſolidarum atonia oriunda. Alexipharmaca atque exurens methodus multos ægros orco tradidit; & qui per ignes evaſerant, vitam arthritidi, morbis cutaneis, atque omnibus affectionibus, quæ ab humorum acrimonia, & viſcerum obſtructione originem ducunt, obnoxiam traxerunt.

Hiſtoriam addo febris pituitoſæ in tractu Germaniæ mari Balthico vicino a *Wagnero* anno 1737 obſervatæ, quæ morbi hujus decurſum hucusque deſcriptum confirmat.

HISTORIA FEBRIS PITUITOSÆ EPIDEMICÆ.

„ Poſt prægreſſam *gravem iracundiam* queruntur hoc febre correpti vel corripiendi de difficili aliquantum reſpiratione, quodque toto pectore ſpiritum trahere absque moleſto ſenſu nequeant, dolorque obtuſus per tractum coſtarum ſpuriarum transverſim, potiſſimum tamen a regione cartilaginis xiphoidis verſus dextrum latus protenditur.

Lanquet ſtatim, imo penitus profugit, ciborum adpetitus, adeo, ut vix odorem ciborum, & imprimis carnium ferant, & quod pejus adhuc, vires ſubito labaſcunt, atque proſternantur: ita ut non ſolum erectum corpus gerentes vertigine & ſcotomiis corripiantur, ſed in lecto quoque ſedere volentes, lipothymiis ſtatim infeſtentur.

Dolor capitis adeſt, non tam lancinans & acutus, quam preſſorius utplurimum & gravativus.

Lingua leviter alba ſolum, æſtumque prodens mediocrem, nec de ſiti magnopere conqueruntur, adeo ut non raro ipſos ad bibendum invitare (cum juſtum potus genus hic in medelæ locum cedat) adigere opus ſit, quod minus bonum; ſimul atque enim in urina

na & reliquis ſigna ſolutionis incipientis accedunt, ſitis etiam accedit. Sputatio frequens, ſed coacta non nihil, cum ſputum parcum ſit, album & ſpumoſum.

Pulſus parvus, debilis, & frequens, nec in toto corporis ambitu magnus æſtuantis ſanguinis ſenſus. Hæc recenſita hucusque ſymptomata, utut medicum doctum ſagacemque nunquam fallant, ſeu decipiant, tum certe ipſis primum ægrotis, dein adſtantibus, imo & medicis indoctis & empyricis vehementer imponunt, quibus ultra ægroti relationes ſapere non datur. Sed hinc illæ lachrymæ, quod morbus illo tempore, ubi potiſſimum obſervare & cito ſuccurrere oportebat (dum ακμαζιν primis diebus ſolet) negligatur, imo artificioſe perdatur, adeo ut juſtæ deinceps medelæ vel nullus, vel ægerrime concedatur locus, machinæque utplurimum poſt bellum adferantur.

Cutis ſicca & ſtricta, & ſi quando ſudoribus madeat, illi ſunt particulares, ſtatim frigeſcentes, & ſine ulla euphoria, dyſphoria potius inſequente.

Somnus vel nullus, vel parcus, & ſi quoque protractior ſit, tamen nullo modo vires inſtaurat, eſtque potius horroribus, membro-

brorum ſubſultibus, & terrificis inſomniis, in omnibus interruptus.

Urina interdum, minus bono omine, alba & tenuis utplurimum, tamen pellucida, rubra, flammeique coloris, primisque diebus raro ſedimentum deponens. Si adhibitis per aliquot dies juſtis medicaminibus urina ſedimentum deponere non incipiat, vel funeſtos eventus, vel morbum longum, & ægre cum ſanitate in gratiam rediturum ægrotum prædicunt. Interim coctionis ſignis in urina adparentibus, ſi reliqua non reſpondeant, rem in vado eſſe minime exiſtimabit medicus doctus & ſagax; ad convaleſcentiæ enim ſpem, ut plura bona ſigna concurrant, opus eſt.

Alvus utplurimum adſtricta, cum borborygmis & flatibus *ανω*, contra naturæ ordinem turmatim tendentibus, qui, cum ob cardiam ſi non penitus clauſam adſtrictam tamen, libere eructari nequeant, ventriculi diſtenſione, imo & non raro, in externa parte ſentienda intumeſcentia, ægros valde exercent.

Verſus veſperam accedit horror febrilis, quem inſequitur æſtus continuæ febris, altero & ſequentibus crepuſculis denuo, niſi morbus confeſtim, & valde miteſcere incipiat, exſpectandus. Hæc febrilis commotio non tam dolore tenſivo in regione vertebra-

rum

rum dorſi, uti in intermittentibus tam veris, quam nothis, & catarrhalibus, quam in hypochondriis, & quod profundius ac ſuſpirioſius ſpiritum trahant, ſeſe manifeſtat.

Ceterum triſtes animo ſunt hac febre correpti, & cum nihil eorum, quæ ſani cæteroquin in ſummis deliciis habere ſolent, magnopere curent, tum id ſtudioſe curant & requirunt, ut habeant, de quo iraſci & ſuccenſere queant.

Hæc fere ſunt, quæ primis diebus, morbo vel ſibi penitus relicto, abſtinentiaque & quiete ſuſtentato, vel mitiſſima & convenienti methodo tractato, attento obſervatori ſeſe offerunt. Generatim de his tenendum eſt, quod magis vel minus differant. Quo enim impuriora corpora, aut ad commotiones ſeu ataxias potius nervoſi generis prona, quo ferocius antecedens iræ pathema, eo graviora ſymptomata, & contra Prognoſis horum eſt, quod morbus periculo vix unquam vacet. Tametſi enim protinus adhibita juſta medicatione, & ægro in omnibus morigero, quovis pignore decertaverim, ex centum hujusmodi ægris nonaginta, ut leviſſime dicam, ſervari oportere, tamen incredidile eſt dictu, quam facile in lethiferum morbum abeat, vel certe in ſummum diſcrimen adducatur.

tur. Niſi enim quietam in lecto & aëre temperato continentiam, in potus leviſſimo genere exquirendo, illoque calidiuscule parvisque hauſtibus ſumendo, temperantiam, in animi pathematibus, ac ira præſertim ſummam moderationem, obſervent, & rigoroſe quidem obſervent, præcipiti gradu omnia in pejus ruunt. Febris typum admittit, accedunt vomendi conatus & nauſea, imo vomitus, moleſtus in faucibus ſenſus, ſingultus, mentis turbationes &c. quibus deinceps non niſi ægerrime ſuccurritur. Quæ omnia eo certius ſuperveniunt, ſi medicamentis ſic dictis alexipharmacis, & ſtomachicis calidis, imo purgantibus, & vomitus moventibus res peragitur.

Recenſebimus nunc illa, quæ in legitimo & felici morbi decurſu eveniunt, eo quo utplurimum ordine ſeſe manifeſtant. At primo quidem reſpiratio fit liberior, febrilis horror, ſive horripilatio vel levius ut antea, vel plane non ſentitur. Urina ſedimentum deponit. Cutis madore univerſali calidiori, ſub quieta imprimis in lecto continentia, madere incipit. Pulſus liberior & major, & major in corporis ambitu, quam antea, æſtus. Accedit ſitis exquiſitior, & ſentire incipiunt ſe ægrotare, quum antea obtuſus ſolum fue-

rit ægritudinis ſenſus. Somnus tranquillior, & licet vires non magnopere inſtauret, expergefactique mentis leviorem & tranſitoriam quaſi emotionem ſentiant, tamen ſubſultus membrorum ceſſans bonam ſpem facit. Ceſſat ciborum nauſea, & licet ſumpto ciborum tantillo ventriculus doleat, tamen adpetentia hæc bono omine venit. Sputa nunc liberalius exſcreantur, & borborygmi ac flatus inferiora petunt. Utut autem hæc omnia bene ſuccedant, tamen lento gradu & ſucceſſiva potius ac parva, quam ſubitanea criſi & in melius converſione.

Quod enim nunc ad criſin ſpeciatim attinet, illam nunquam notabilem vidi & ſimplicem, at compoſitam magis & ſucceſſivam, hoc eſt, per diverſa corporis emunctoria, idque nunquam confertim, ſed ſucceſſive ac placide contingentem. Quod quidem mirum non eſt, cum hic morbus, non magis fluidarum, quam ſolidarum humani corporis partium morbus ſit. Criſis, quæ per urinam fit, tantum non ſemper notabilior eſt reliquis. Proximum locum occupat ſudor, qui, quantum de catarrhali febre hic morbus participat, criſis fluidarum adpellari poteſt, quantum vero remiſſionem ſpasmi cutis, & cum hac ſpasmi membranarum univerſi corporis,

in-

indicat, criſis partium ſolidarum, hoc eſt, reditus fibræ ad juſtum tonum, merito audire videtur. Quæ per alvum ſuccedit criſis, tametſi aliquomodo de eſſentia morbi in melius converſi eſſe videatur, tamen, quod rariſſime ex ſe ipſo ſuccedat, medico autem ſerio de ægrotorum ſuæ curæ ſe tradentium ſalute cogitanti, vix ſatis tutum hanc exſpectare, hinc illam merito ultimo loco reponimus.

Eſt & aliud, ſed non crebro ocurrens, criſeos hujus morbi genus, ubi nimirum vel ex ſe ipſo, quod rarius, vel juſta medicatione adhibita, quod non adeo rarum, nunc citius nunc tardius, in alium morbum, ſed tutiorem, morbus tranſit. Nimirum in intermittentem legitimam, eamque vel tertianam, vel quotidianam (quæ utplurimum hic tertiana duplex eſt) febrem. Hæc intermiſſionis tempore, utut ex priori morbo non poſſint non adhuc languere, medicis doctis & ſagacibus; non fucum facere poteſt, quin ſtatim perſpiciant, ſecurius quam antea cum ægrotis agi, qui utplurimum hac, quaſi novo terrore, percelluntur. Hæc abſorbentibus, & ſalibus fixis ex arte datis, cum vel ſine caſcarillæ cortice, & interpoſitis ad ſummum lenioribus ſtomachicis eſſentiis, qualis

 e. g.

e. g. illa, quæ ex corticibus aurantiorum paratur, aut tinctura corticis peruviani, brevi diſparet, cum exanthematibus in labiis, & pinnis quoque narium haud raro, qualia exanthemata poſt febrem hanc, etiamſi non acceſſerit intermittens, non raro ſolutioni morbi accedere cernimus.

Habet præterea febris hæc anomalias quasdam, ſilentio non involvendas, & quidem:

Quod in principio morbi interdum accedat paroxysmus febrem intermittentem legitimam ad integras horas mentiens, & vel altera, vel tertia die denuo invadens, unde fit, ut tam ægrotis, quam medicis ανιητροις imponat, minime vero ſagacibus & doctis; hujus intermiſſionis tempus malignitatis notis abundat non ſolum, ſed & brevi tempore vel plane jugulet, vel non, niſi ægerrime & tardius, ad ſanitatem redire permittat.

Alterum anomaliæ genus eſt, quando altera tertiaque die ſtatim inſequitur aſthma, nunc ſimplex, nunc convulſivi aſtmathis paroxysmis interſtinctum, horizontalem corporis decubitum vix ferens, ſed semiorthopnoicum, cum ſubitanea oëdematoſa pedum intumeſcentia, a pedibus ad crura & femora

ſine

ſine mora ſerpente, accedentibus non raro etiam auriginis ſignis.

Tertio, notanda venit anomalia morbi ad alias jam præſentes ægritudines accedentis, illasque in novas pejoresque turbas concitantis, adeo, ut morbus inde naſcatur complicatus. Verbi cauſſa, ſi calculo laborantes hac febre corripiantur. Symptomata enim in hujusmodi caſu longe vehementius urgent. Pari modo comparatum eſt, ſi cephalalgiis chronicis, periodicis laborantes hac febre corripiantur.

Eſt quoque quartum anomaliæ genus his forſan jungendum, dum in fine morbi, ſeu declinatione ſaltem, illi, qui morbis arthriticis, tam vagis, quam fixis periodice affligi ſolent, veteres morbos, in principio febris, de quo agimus, non animadverſos, denuo perſentiſcunt. Sed cum ejusmodi bono potius, quam malo omine, imo quaſi critice, non huic ſolum, ſed aliis quoque acutorum morborum generibus ſuperveniant, illa non morabimur.

Methodus medendi huic febri epidemicæ ab auctore adhibita hæc ferme fuit:

Maximus fuit in hoc morbo remediorum temperantium uſus. Hinc nitroſorum & emulſionum largus uſus.

 Al-

Alvi ſegnitiem clyſteribus emolliebat.

In morbi declinatione, alvo ſegniori adhuc perſtante, medicamentum laxans propinavit.

Circa finem morbi remedio purgante, etſi alvi ſegnities non adeſſet, inteſtina a reliquiis bilioſis & pituitoſis repurgavit.

Ac tunc primum leniſſimis diaphoreticis utebatur.

Si morbi initio, dextrum hypochondrium dolebat, emollientem fotum adhibuit.

Subinde ob aſthma ſuffocativum, vel ſi perverſa medicatione prægreſſa, febris ex continua in continentem mutabatur, cum inflammationis internæ ſignis, & metu, venæ ſectione ſuccurrendum erat.

Potus erat leviſſimus ex decocto avenæ, vel hordei; ſerum lactis, interpoſita ſubinde cereviſia ſecundaria.

PERIPNEUMONIA NOTHA.

Ad alium nunc morbum deſcribendum progredimur; ubi pituitoſa labes non ſolum in toto ſanguine dominatur, ſed peculiare inſuper viſcus præ ceteris graviter premit; peripneumonia nempe notha, ſeu pituitoſa.

Ra-

Rarior morbus hic calidarum regionum incola eſt, at in humidis, depreſſis frigidisque terris ſedem potiſſimum figit, in quibus & cœli humiditas, & pinquium ciborum abuſus, & iners vitæ genus, generandæ pituitæ ſavent. In noſtris regionibus regnante annua conſtitutione pituitoſa frequenter obſervatur. Hinc forte apud græcos medicos vix veſtigia hujus morbi occurrunt, cum patrium illorum ſolum, ob cœlum calidius, atque aëris viciſſitudines minus repentinas, illorum quoque corpora ad pituitam minus proclives reddidiſſet. Noſtro demum ſæculo tum cognitio, tum etiam cura atrocis hujus morbi a ſummis viris *Sydenhamo* & *Huxhamo* exculta habetur.

Ex duplici cauſſa morbus hic ſanatu difficillimus eſt. Pituitam enim ſolvendo, atque pulmonem ſanguinis miſſione ab infarctu liberando, omnis cura abſolvi videtur. Verum tamen methodo generoſiori antiphlogiſtica vires ſubinde ita corruunt, ut æger cacochymia pituitoſa penitus opprimatur; medicamentis autem attenuantibus, atque cum aliquo tumultu pituitam evacuantibus, natura, ſtimuli paulo fortioris impatiens, omnem pituitæ molem in vitale viſcus aliunde debilitatum conjicit. Hinc in felici utriusque

methodi connubio ſalus. Monuit *Sydenhamus* ne temperarium a venæ ſectione levamen nos in mittendo ſanguine nimium audaces reddat.

Adgreditur hic morbus paulo habiliores ac craſſos præ ceteris; virilem ætatem vel aſſecutos, vel etiam, quod ſæpius accidit, prætergreſſos; liquoribus ſpirituoſis, vini maxime ſpiritui, plus æquo deditos. Cum enim in hujusmodi hominibus ſanguis, pituitoſis humoribus, brumæ tempore congeſtis, fuerit oneratus, atque iidem ab eunte vere in novum motum cientur, tuſſis hanc nacta occaſionem mox ſubingreditur, qua miniſtra dicti humores pituitoſi in pulmones irruunt; quo tempore ſi forte æger nullo vivens conſilio, liquores ejusmodi ſpirituoſos adhuc liberalius hauriat, craſſeſcente jam fere, quæ tuſſim excitabat, materia, & ab ea præcluduntur pulmonum aditus, & febris omnem ſanguinis maſſam depaſcitur. *a*)

a) *Sydenham* *Sectio* VI. C. VI. p. 269.

Cauſſæ excitantis munere omne id fungitur, quod pituitam ad pulmones maxime determinat. Viſcidi enim humores, ait *Huxhamus a*), nunquam tam libere per arteriarum tranſeunt extrema, quam tenuiores & flui-

ſluidiores; unde ii ſubitanea humorum agitatione commota, in pulmones largius, quam ut per illos tranſire queant, impelluntur; unde ii magis magisque coacervati magis etiam magisque pulmonum vaſa obſtruunt, donec tandem ſtagnatio ſequitur mortifera, & ipſa accedat mors. Quod exemplis ſingulari ratione illuſtratum videmus, quando artificialem, ut ita loquar, excitamus peripneumoniam, ſcilicet virgo chloroſi leucophlegmatica laborans (ubi talis lenta viſcida pituita præ reliquis dominatur) inſigni & diu continuato exercitio agitetur, pulmones ejus tandem repleti ita aggravantur, ut ingenti ſpirandi difficultate, imo plenaria quoque corripiatur ſuffocatione; quod re vera aliquoties accidit, quando exercitium nimium fuit auctum. *a*)

a) *Huxham* Op. T. II. p. 201.

Symptomata, quibus morbus hic decurrit, hæc ferme ſunt; præter illa ſcilicet, quæ univerſim pituitoſas febres comitari ſolent, atque ſuperius recenſita ſunt.

1) Levis ad ſenſum febris, pulſus enim plerumque parvus, mollis, aut vix a naturali recedens, neque horror febrilis, aut æſtus, qualis in vera peripneumonia eſſe ſolet.

2) Anheloſa & ſtrepens reſpiratio, vel levi defatigatione aucta. Ubi enim lenta illa pituita in pulmonis vaſis hærere incipit, jam impeditur liber ſanguinis ex corde dextro in ſiniſtrum tranſitus, unde majore reſpirationis molimine ægri hanc viam expedire conantur: hinc anhelant, deque moleſta anxietate, & pectoris oppreſſione conqueruntur.

3) Plenitudinis & humorum congeſtorum in capite ſenſus, *ac ſi caput ægris diſſiliret*; a pituita nempe in cerebro accumulata. Hinc in quibusdam ægris vertigo, coma &c.

4) Tuſſis ſicca, vehemens, pulmones ferme dilacerans. Senſim enim magis magisque infarcitur pulmo, ſic ut pulmonum coarctatio adſtantium auribus percipiatur.

5) Tandem tenax, albidum gluten ejicitur, morbi cum levamine.

Quod autem febris in hoc morbo fere inſenſibilis ſit, ob encephalum maxime pituita oppreſſum contingit.

Ægri hoc morbo correpti ſæpe ſubito intercepta circulatione, ſanguineque quaſi præfocato, ſuffocati, aut morte apoplectica pereunt.

Si

Si ergo novimus hominem ex anni conſtitutione, propria temperie, ætate, malo victu, aliisve morbis prægreſſis, lenta mucoſa ſaburra corpus gravatum habere, atque deinde tales acceſſerint cauſſæ, quæ illud mucoſum movere, & ad pulmones determinare potuerint, ſcimus hunc morbum metuendum eſſe. Symptomata autem mox recenſita declarant, pulmones nunc pituita opprimi, atque ea auxilia eſſe adhibenda, quibus pulmones ab alieno pondere expediuntur, atque iners in corpore pituita ſubigitur, & eliminatur.

Remedia, quorum cauto ſub uſu morbus ſæpe profligatur, hæc ſunt:

1) Primum locum obtinet venæ ſectio, eo nempe fine, ut pituita a pulmonibus revellatur, atque humoribus per pulmones tranſituris viæ aperiantur. Repetita autem ſæpius venæ ſectio, quæ in peripneumonia vera toties requiritur, in hoc morbo noceret potius, uti monuit *Sydenhamus a*), qui attenta obſervatione didicit, peſſime hoc ceſſiſſe, præcipue in illis, qui craſſiori erant corporis habitu, & ætatis florem jam prætergreſſi, quales imprimis huic morbo obnoxii ſunt. Adeo autem metuebat ſecuturam poſt ſanguinis miſſionem in hoc morbo debilitatem *Sy-*

den-

denhamus, ut juſſerit, in lecto jacentibus ægris ſanguinem mittendum eſſe: ſic enim & præcavetur optime animi deliquium in hoc morbo noxium. Ex largo autem vulnere ſanguis emittitur, ne pituita gravatus ſanguis, hincque lenteſcens, parvum vulnus obſtruat.

a) *Sydenham* Op. p. 270.

At ſubinde venæ ſectionis, eæque etiam repetendæ alia nonnunquam ſubeſt ratio. Accidit enim perſæpe, ut vel ob complicatam inflammatoriam febrem, vel vero ob longiorem infarctus hujus pituitoſi moram, vera phlogoſis accedat, ut itaque vera ſimul pulmonum inflammatio habeatur. In hoc rerum ſtatu optimum itaque præſidium ſanguinis miſſio eſt. Hinc monitum *Huxhami a*) „Cum vero ſtatus intermedii inter peripneumoniam violentam inflammatoriam, & hanc nunc propoſitam deprehendantur, nulla fundata, & diſtincta dari poteſt medendi methodus; quoniam affectus peripneumonici nonnunquam magis, nonnunquam minus inclinant in inflammatorium. Nam morbus eſt æconomiæ animalis perturbatio, quæ his vel peculiaribus diſtinquitur ſymptomatibus, & hoc vel illo nuncupatur nomine; quilibet vero morbus

pe-

peculiaris in quolibet homine individuo a medico ei medente non ratione nominis, ſed ratione naturæ, cauſſarum & ſymptomatum peculiaris morbi in peculiari quodam homine conſiderandus eſt. — Itaque ſi magnam pectoris oppreſſionem & ægritudinem, ſpirandi difficultatem, tuſſim, cæteraque cum pleno, forti, celeri, aut valde denſo & duro aliquo pulſu in homine forti & vigente invenio, hæc ſufficiunt, ut multo liberius & crebrius ſanguinem emittam, quam ſi oppreſſionem, tuſſim, ceteraque non adeo rapidus & fortis, aut celer & tenſus comitatur pulſus: ſi inprimis hominum affecto debilem-laxam, vel phlegmaticam eſſe conſtitutionem antea cognovi. Ita uti ſi pulſus debilis & lentus, æſtus minor, vel naturali non multo major, urina pallida & cruda, ceteraque ſic occurrant, admodum cautus in ægroti pulmonici ſanguine detrahendo eſſe debeam, quamquam pondus & oppreſſio pectoris valde urgere poſſint. Atque ſi fortaſſe hominem peripneumonia ſpuria laboranti detrahitur ſanguis, is aut laxus, tenuis & floridus, aut quod more magis conſueto fieri ſolet, obſcure lividus, neque craſſo & viſcido, ut in conſuetis pulmonum inflammationibus, obtectus aparet. Ac ægrotum ſubito proſterni, mul-

multoque fieri debiliorem poſt talem evacuationem, notatu eſt dignum, quamquam is tunc temporis, quodad anxietatem & præcordiorum pondus relevari videatur; cum enim ſanguinis detractio hoc ſpeciatim in caſu naturæ vires debilitet, & actionem ſolidorum & fluidorum infringat; inde lentor morboſus, continens morbi cauſſa augetur. "

a) *Huxham* Op. T. II. p. 202.

2) Poſt venæ ſectionem illico injicitur clysma, ut alvus eluatur, ſicque eductis fœcibus terſa inteſtina venulis bibulis reſorbere poſſint illa, quæ poſtea eadem via injicientur, & ſaponacea & ſolvente vi lentum illud pituitoſum attenuare valent. Quotidie hæc injiciuntur, donec reſpiratio facilior, & pulſus auctum robur docuerint, levari pulmonem; hoc autem facto illis abſtinendum eſt, ne nimium debilitetur corpus. Huc etiam faciunt leniora purgantia, quæ ſolvendi vi ſimul agunt, non autem ſubducunt de corpore liquidiſſima.

3) Victu tenui opus eſt. Convenit dilutum jus carnium, ſed dilutum, quia minime tenax eſt, & in hordei, avenæ decoctis farinoſus lentor adeſt, qui materialem hujus morbi cauſſam augeret potius; additur autem

le-

leve acidum, ſuccus citri, pituitam incidens. Potus autem tenuis ex aqua & melle maxime laudatur, quia mel ſaponacea ſua vi omnem lentorem dividit, quod hic requiritur.

4) Tandem, ut pituitæ ſputando ex pulmonibus rejiciendæ libertas concilietur, atque ſputa etiam accedente quodam ſtimulo leniori promoveantur, vaporibus calidis aquæ admixto aceto utendum eſt. Præterea uſu interno remediorum aperientium ſolventiumque, e. g. oxymelle ſimplici, ſquillitico, parvis doſibus, kermes mineralis, inter largos calidosque diluentes potus, gluten tenax pulmones obſidens incidendus eſt. At cavendum eſt, ait *Grant* a) ne nimio ſtimulo novam morbo cruditatem inducamus. Huc etiam epiſpaſtica pertinent, quibus magna ineſt ad inſolvenda pituita poteſtas.

a) *Grant* von Fiebern. p. 461.

Binas conſtitutiones deſcripſit *Stollius*, atque ſub his frequenter ægros notha hac peripneumonia correptos obſervavit.

„ Anno 1778 menſe Novembri; febres pituitoſæ regnabant, miti admodum indole. Materiam morbificam eandem deprehendimus, quam menſe præcedente; pituitam videlicet, ſed bili rariſſime commixtam, & mole pau-

cam,

cam, quæve peripneumonias nothas, pleuritides, tuſſes ſtomachicas, tormina; doloresque articulorum fecit, prout diverſis corporibus diverſimode applicabatur. Hæ febres pituitoſæ varia etiam ratione intendebantur, aut remittebant, eandemque medendi rationem ſibi vindicabant, ac illæ menſium præteritorium; ſolventibus enim præmiſſis, cathartico-emeticum una, aut pluribus etiam vicibus aſſumptum, easdem aut ſuſtulit omnino, aut valde imminuit, vel vero in intermittentes convertit.

„ Peripneumoniæ nothæ, ſeu pituitoſæ, itemque pleuritides ejusdem indolis in hunc menſem inciderunt, etſi numero non plurimæ, cum omnium univerſim febrium hac tempeſtate vis pauca fuerit.

„ Febris ex claſſe remittentium fuit, ſed non intenſa valdopere, obſcuris acceſſionibus, & vagis. Laborioſiſſime reſpirabant, veſperi maxime & noctu, ac ſedentes, ac ſi viis ſpiritalibus anguſtatis, intra thoracem quid ebulliret, bilioſo cum ſtrepitu cephalalgia, vomituritio, & vomendi molimina laborioſa, inania, aut cum modicæ pituitæ rejectione; vomitus ingeſtorum, crebriorque a paſtu & veſpere. Thoracis totius ardor, aut pungens dolor, aut gravior multo cardial-

dialgia, graviorque in epigaſtrio toto inter tuſſiendum dolor. Sputa in initio perpauca, plura dein, ductilia, tremula, ſubinde herbaceo hinc inde colore tincta. Inappetentia; vix ulla ſitis. Tuſſis multa, ſonora, ſono quaſi ex cavo prodeunte. Urinæ ſaturate flavæ, & pleni pulſus, naturalibus non multum citatiores.

„ Sartorum quorundam hic morbus fuit, & fœminarum, hasque inter pauperiorum præcipue, aut corporis obeſioris.

Venæ ſectione non indiguimus, qua tamen illa *Sydenhamo* peripneumonia notha compellata carere non potuerat, cum plus forte phlogoſeos jam conceperat, quam morbus hic noſter in noſtris terris, & hocce menſe minus frigido, quam is aliis annis ſoleat.

Hinc ſatius erat, alvum moviſſe, aut quod expeditius viſum fuerat, moviſſe emeſin una cum alvo, idque pluribus plerumque vicibus. Aſt præmittere, & interponere, & ſubjungere remedia ſalina oportebat. Vomuere pituitam meracam, ſubinde mediocriter bilioſam, paucam plerumque, ſed cum levamine non pauco.

„ Ægram habuimus, quæ quam plurimam pituitam vomuit in eodem morbo, quantam non facile quisque in ventriculo & pro-

ximo inteſtino fluctuantem crederet, ſed potius ex omnibus corporis vaſis emulctam, rejectamque ad ventrem, & inde per os, atque alvum, tanquam gemina via regia crudiſſimarum ſordium, eliminatam.

„ Vix ulli in univerſum ſanguinem miſimus, atque ubi ejus rei neceſſitas fuit, eum parce, & una ſolum vice detraximus. *a*)

a) *Stoll* Ratio medendi T. II. p. 208.

Altera conſtitutio pituitoſa regnabat vere anni 1779. menſe Martio, ubi peripneumoniæ nothæ ab illis mox recenſitis, paulo diverſæ occurrebant.

Peripneumonia notha, ſeu pituitoſa hac etiam tempeſtate eminuit, eaque aut ſola, aut pulmonum veræ quoque inflammationi utut exiguæ plerumque, & cito diſſolutæ, ſociata. Paucos gravior, & periculoſa inflammatio pulmonum proſtravit, eaque præ cæteris exercitatos, & juvenes.

„ Plerisque dolor alterutrum thoracis latus infeſtabat pungens, dilacerans, diffuſus, ab humero ad usque ilei oſſa decurrens.

„ Quibusdam etiam artus afflicti lateris, veluti a deſtilante aeri ſero compungebantur. In illam quoque, quæ dolebat corporis partem cubare nequiverunt.

„ Pe-

„ Peripneumoniæ huic, ſeu pleuritidi nothæ rarior hoc menſe pulmonum hæmorrhagia jungebatur, etſi parca cruoris ſpuitio vix ulli abfuerit.

„ Omnibus ſputa prodiere albumen ovi referentia, initio parca, dein copioſa.

„ Quorundam pendula, ductiliaque ſputa color herbaceus tingebat.

„ Anxietas magna: cardialgia, præcipue poſt potulenta: febris non magna, veſpertina, & obſcuras habens acceſſiones.

„ Sputatio multa morbum non ſolvit, hinc eandem nunquam urgebamus. Satius erat morbificam materiam ſolventibus ſalinis ita præparare, ut, ubi ſanguine una, ſubinde & altera vice detracto, phlogoſi cavimus, dato vomitorio poterit educi. Mox inde & tuſſitatio moleſta componi, & ſputorum rejectio, plurimo & magno cum levamine imminui.

„ Peripneumoniis nothis levioribus eccoproticorum continuatus uſus profuit, gravioribus multum impar.

„ Peracta vomitione, quam ſubinde iterare poſt aliquot dies oportebat, taraxaci decoctum, & aut paucum ſalem medium, aut refractas portiones tartari emetici propinavi; donec præter corporis laſſitudinem, cuncta

ex lege ſanitatis procederent. Decocto radicis cichorei, lichenisque islandici confirmatos dimiſi.

„ Alii quoque morbi fuerunt hac tempeſtate peripneumoniæ nothæ comites, aſthmata nempe & catarrhi, & abortus crebri, & hæmorrhagiæ uterinæ, quæ vel abortientibus acciderunt, vel tempore menſtruæ purgationis.

„ Morbus hosce, utut diſſimile facie in publicum prodeuntes, eadem de ſtirpe ſatos, eodem quoque pabulo enutriri, eadem ubique therapeutica methodus, & eodem cum eventu adhibita, demonſtravit.

„ Qua ratione eadem morbifica materies in His catarrhum, in Illis vero abortum fecerit, aut profuſum catameniorum profluvium, ignoro. Id aſſero, me ad ſpeciem diverſiſſimos morbos febriles, ſed eadem prognatos tempeſtate, & absque alia omnium horarum accedente evidenti cauſſa, eadem methodo tuto ſanaſſe, hancque ab anni conſtitutione deſumptam medendi rationem præ omni alia vidiſſe meliorem, compendioſamque magis. *a*)"

a) *Stoll* Ratio medendi T. III. p. 35.

Omnis itaque medendi methodus eo redit, ut pulmonem oppreſſum venæ ſectione li-

liberemus, & ſi ſigna veræ in pectore inflammationis adſint, habita virium vitalium ratione phlogoſin abſtergamus.

Dein oportet pituitam potu multo ſolvente diluenteque, & exhibitis per intervalla ſolventibus ſalibus, incidere, atque ita ad exitum præparatum, ſi qua turget vel ſurſum, vel deorſum, emeticis aut purgantibus remediis excutere.

Si autem materia morbida per ſputa primum albida tenaciaque ſenſim flaveſcentia & magis cocta e pulmonibus ejicitur, hanc quoque evacuationem adjuvare, non autem vehementioribus ſtimulis augere licebit.

Morbo hac methodo devicto, pulmonum roborandorum ratio eſt habenda.

Ex his facile explicatur, cur fœminæ, pueri, omnesque, quibus laxior eſt corporis compages, etſi univerſim in pituitoſam febrim maxime ſint proclives, rarius tamen a peripneumonia notha corripiuntur. Cum enim magis molle & turgidulum illis corpus eſt, mollior quoque pulmonum compages non ita facile pituitoſo infarctui eſt obnoxia, aut nato etiam infarctu, facilius is etiam diſpareat. In laute autem paſtis hominibus, atque ſtrictiori fibrarum compage, altius pulmonibus impingitur pituita, & accedente utplurimum

 phlo-

phlogoſi æger in ſummum vitæ periculum conjicitur.

Id etiam patet, omnem alium humorem pituitæ analogum, ſi ad pulmones decumbat, peripneumoniæ nothæ ſpeciem producere. Materiam bilioſo - pituitoſam peripneumoniæ nothæ cauſſam frequentiſſimam in Anglia obſervavit *Grant*. *a*) Duplex hujus peripneumoniæ atrabilariæ ſtadium notat is auctor: ſtadium cruditatis, pulmonibus nempe hac materia infarctis; alterum coctionis, dum morbi reliquiæ jam non amplius purgantibus remediis eliminandæ, ſputis ejiciuntur. Methodum medendi eandem exhibuit, quæ ex febris pituitoſæ cum bilioſo connubio indicatur.

a) *Grant* von Fiebern p. 453.

Binas addo hiſtorias peripneumoniæ nothæ, quas hyeme anni 1786. cum febris atrabilaria regnaret, in ſchola clinica adnotavi.

HISTORIA MORBI I.

Fœmina 58 annorum, multarum prolium mater, ultimo partu gemellos peperit. A decem annis menſium fluxus ceſſavit. Ab anno

no circiter, eodem, ut ait, morbo decubuit; inde ſanata, vagis tamen artuum doloribus per vices vexata. Die 19ma Octobris friget, calet, thoracis oppreſſio, dolor lateris ſiniſtri punctorius, ad abdomen usque diffuſus, tuſſi & inſpiratione auctus, attactus impatiens; cephalalgia. His continuo auctis, 23. Octobris in ſcholam clinicam delata, atque eadem veſpera, ob reſpirationis & doloris acerbitatem vena ſecabatur ad uncias VIII. A ſanguine domi emiſſo, levamen nullum.

24/6 Nov.

Oppreſſio thoracis aſſidua; dolor lateris ſiniſtri inſpiratione, tuſſi & attactu externo auctus. Tuſſis frequens, & diſſiliens inter tuſſiendum capitis dolor. Sputa mucoſa, pauca crocea. Lingua alba pellicula obducta. Pituitam vomitu, uti prioribus etiam diebus rejecit. Abdomen ad attactum leviter dolens. Pulſus naturali celerior, ſubdurus; calor ferme naturalis. Color corporis flaveſcens; urina климатиcontainerbilioſa; alvus bis mota. A venæ ſectione heſterna levamen.

Venæ ſectio.

Decoctum ſalab. cum nitro: decoctum hordei pro potu ordinario.

Cataplasma regioni dolenti adplicatum.

$\frac{25}{7}$ Nov.

Heri circa veſperam vehemens lateris dolor, atque valida pectoris oppreſſio. Veſicans affecto lateri applicatum. Dein etiam nuchæ; & unciæ VIII. ſanguinis miſſæ, ſanguis compactus. Nox inquieta. Dolor pleuriticus diſparuit; minor thoracis oppreſſio. Sputa mucoſa. Pulſus naturali celerior; flavus corporis color. Capitis ſtupor.

Decoctum rad. alth. cum tamarind. manna & cremore tartari.

$\frac{26}{8}$ Octobr.

Oppreſſio thoracis continua, minor tamen. Caput ſtupidum, os mucoſum, leviter flaveſcens. Alvus quinquies mota, bilioſa. Pulſus naturali celerior, mollis.

Emollientia.

$\frac{27}{9}$ Octobr.

27/9 Octobr.

Heri a meridie valida iterum pectoris oppreſſio. Hinc vena ſecabatur; atque ob eandem neceſſitatem, pulſumque duritiem & celeritatem noctu etiam repetita venæ ſectio unciarum VIII. Modicum levamen. Cruſta pleuritica, contracta.

Mane oppreſſio thoracis vix emendata; profunda inſpiratio prorſus impedita. Tuſſis frequens; ſputa crocea. Minor pulſuum durities. Urinæ coloratiores; alvus quater poſita.

Eccoproticum ex tamarindis, manna, & cremori tartari.

28/10 Octobr.

Ab eccoprotico diarrhaica alvus, hinc dimidia tantum hujus remedii pars aſſumpta.

Oppreſſio pectoris parum emendata; inſimam thoracis ſiniſtri partem minus attollit. Rarior tuſſis; ſputa mucoſa. Pulſus vix celerior, ſubdurus.

Decoctum ſalab. tepide.

$\frac{29}{11}$ Octobr.

Heri circa veſperam aucta pectoris oppreſſio, ut venæ ſectio inſtitueretur unc. V, atque etiam noctu repeteretur. Cruſta ex utraque venæ ſectione pleuritica.

Mane eadem ferme ac heri reſpirationis conditio. Alvus ſepties poſita. Pulſus ferme naturalis.

Emollientia tepida.

$\frac{30}{12}$ Octobr.

Os multa pituita repletum. Inſpiratio inæqualis, attamen liberior. Sputa mucoſa, quædam per ſomnia, qualia jam a juventute ut ægra ajebat, ſolebant eſſe. Urinæ ferme naturales; atque pulſus vix a naturali ſtatu recedens. Alvus bis mota.

Emollientia tepida.

$\frac{31}{13}$ Octobr.

Altior & liberior, attamen inæqualis adhuc reſpiratio. Nullus oppreſſionis ſenſus. Os pituitoſum. Tuſſis rara. Abdomen molle,

le, indolens. Urinæ naturalibus coloratiores. Pulſus naturali celeritate.

Eadem remedia.

$\frac{1}{14}$ Nov.

Nox bona. Os minus pituitoſum. Aliqua adhuc reſpirationis inæqualitas. Sputa puriformia. Alvus quater poſita, cum ſedimento albo. Pulſus naturalis.

Mixtura ſalina, cum roob ſambuci. Decoctum altheæ pro potu ordinario.

$\frac{2}{15}$ Nov.

Nullæ de pituita quærelæ. Alta libera, & æqualis inſpiratio. Alvus quater poſita, biliofa. Urinæ naturalibus coloratiores. Sputa puriformia.

Eadem remedia.

Sub horum remediorum uſu, lingua de die in diem purior redditur, omniaque ita emendantur, ut ægra ſenſim convaleſcens $\frac{18}{31}$ Novembris ſana e noſocomio diſceſſerit.

HI-

HISTORIA MORBI II.

Vinitor 44 annorum, optima hucusque ſanitate fruens, atque ſtrenuus potator, 30ma Octobris febre corripitur, cum valida & aſſidua oppreſſione thoracis, accedente inſuper dolore per anteriora thoracis ad præcordia usque & hepatis regionem diffuſo. Cephalalgia, ſub tuſſi imprimis aucta, ac ſi caput ægro diſſiliret. Eadem die ab aſſumpta theriaca vomuit bilioſa. A chirurgo ſecta vena eſt, absque levamine. Sanguis cruſtam exhibuit. Eadem ſymptomata perſtabant. Æger die 3tio Nov. in noſocomium ſuſceptus.

$\frac{3}{7}$ Nov.

Cephalalgia, os pituitoſum; lingua alba, ſiccescens. Levior oppreſſio thoracis. Tuſſis frequens; ſputa mucoſa, flaveſcentia; irritamentum tuſſis in abdomine.

Abdomen in regione hepatis tenſum & dolens.

Alvus noctu quater poſita; urinæ multa bile tinctæ. Color corporis & faciei flaveſcens.

Co-

Color naturali major; pulſus celerior, ſubdurus. Vivum ægri ingenium, & mulieroſa loquacitas.

Venæ ſectio unc. VIII. circa veſperam inſtituta.
Cataplasma emolliens ad præcordia.
Potus emollientes tepidi.

$\frac{4}{6}$ Nov.

Sanguis heri miſſus parum levaminis attulit; cruſta rheumatica. Nocto magis invaluit.

Mane eadem oppreſſio in inferiori thoracis parte. Caput grave, temulentum; os pituitoſum. Lingua ſicceſcens, flava. Sputa mucoſa, vireſcentia.

Dolor adhuc hypochondrii dextri.

Alvus quinquies poſita; urinæ velut icteriçorum. Corpus magis ac heri flaveſcit

Pulſus naturali celerior; minor autem durities.

Eccoptoticum ex tamarindis, manna & ſale mirab. Glaub.

$\frac{5}{7}$ Nov.

Noctu inquies multa. Aſſiduus in dextro hypochondrio dolor. Levior thoracis oppreſſio. Sputa copioſa. Lingua ſiccefcente, flavo, in fila ductili glutine obducta. Febris pro morbi vehementia mitior.

Solventia eccoprotica.
Veſicans ad locum dolentem.

Nov.

Reſpiratio abdomine potiſſimum peragitur. Pulſus paulo elatior, & celerior. Sputa glutinoſa, copioſa. Reſpiratio profundior impedita. Lingua ſicca, flavo, tenaci muco obducta. Sputa glutinoſa, tenacia. Abdomen circa hepatis regionem dolens.

Alvus ab eccoprotico diarrhæica; unde remedium dimidia parte abſumptum, ſepoſitum. Urinæ jumentoſæ.

Pulſus celerior, plenus; fortis, vibrans, ſubdurus.

Venæ ſectio unc. V.
Decoctum ſalap. cum ſpirtitu Mindereri.

$\frac{7}{9}$ Nov.

$\frac{7}{9}$ Nov.

Heri ob pulſus duritiem venæ ſectio repetita. Nox tranquille peracta.

Mane lingua circa margines humeſcere incipiens; in medio flaveſcente atque tenaci muco obducta.

Inſpiratio liberior, atque æqualior; mitior hypochondrii dextri dolor.

Alvus octies poſita. Urinæ bilioſæ.

Pulſus modice celerior, minus durus. Sanguis e vena miſſus cruſta flava tectus, cum ſero flaveſcente.

Eadem remedia.

$\frac{8}{10}$ Nov.

Nox placide tranſacta. Caput bonum & thorax liber: Parca ſputa. Urina minus bilioſa, alvus pultacea. Febricula.

Solventia antiphlogiſtica.

Sequentibus diebus continuato uſu mixturæ ex aqua ſambuci, roob ſambuci & ſpiritu Mindereri, lingua ſenſim depurabatur,

at-

atque æger convaluit. Die 18 Nov. 20 morbi die e noſocomio diſceſſit.

Eosdem effectus, quales nunc de materia pituitoſa recenſuimus, ab arthritica quoque, & atrabilaria materie commota, & ad pulmones determinata, non raro oriuntur.

Priusquam hanc de febre pituitoſa, & peripneumonia notha ſectionem abſolvo, *Huxhami* monitum addere liceat, ne ſcilicet aut in evacuando aut in ſtimulando audaces nimis velint eſſe medici, cum ex utraque methodo in febribus lentis pituitoſis curandis adhibita, funeſta in corpus humanum mala progerminent.

„ Itaque, ut hæc breviter complectar, ubi quædam harum evacuationum eſt nimia, illa prudenter quidem moderanda, ſed non prorſus cohibenda eſt: ideoque aër frigidus, linteamina frigida, liquores frigidi, aut regimen frigidum minime conveniunt.— E contrario vero allaborare, ut calidioribus cardiacis, ſalibus volatilibus alcalinis, aëreque exæſtuante ſudor excitetur, iſtaque foveatur, hoc profecto eſt opprimere, non juvare ægrotum. Atque & copioſia & crebrior albarum rubrarumque puſtularum miliarium eruptio non morbi ſolum magnitudinem (ut dicitur) ſed ſic ſæpius quoque perverſam medicorum medendi methodum oſtendit. Num

erit

erit melius factus, ſi magnam variolarum copiam per regimen valde calidum extricamus? Nihilo tamen minus hæ, multo magis, quam illæ in completa critica evacuatione efficienda ſe commendant. — Ego vero ad omnes expertos provoco medicos, num unquam in variolis aut morbillis largum profuſumque ſudorem invenerint utilem: ego quidem illum reperi perniciosiſſimum.

„ Qua in re fui verboſior, quoniam vulgari iſta methodo febribus miliaribus per calidiora, ſudorifera remedia, & calidum regimen medendi, multa millia fuiſſe trucidata, pro certo habeo. — Breviter, medicus tam in febribus miliaribus, quam in lentis & nervoſis ſine eruptionibus, in id incumbere debet, ut naturæ in ſuis operationibus ſuccurrat, & ſuccumbentem juvet: tali vero ratione, qualis cum generalibus œconomiæ animalis legibus convenit; ita ut evacuationes natura languente deficientes promoveat, aut profuſiores, & inordinatas temperet; ut eodem tempore curam habeat, ne ullo unquam in morbo, criſin quamdam, quæ obſervationibus propriis, & longa experientia, ordinata, conſtans & ſalutaris fuit reperta, turbet, ſed omni opera adjuvet. — Itaque ut exemplum hujus febris, de qua nunc egi, pro-

proferam, quando diarrhæa incidat nimis profuſa, ea moderato cardiaco opiato remedio, ut theriaca Andromachi, & ſimilibus coerceri poteſt, quæ irritationem compeſcendo, atque evacuationem cutaneam promovendo, fluxum iſtum temperant; tam moderatos, æquales, facileque provenientes ſudores eſſe ſalutares, ſemper invenimus. Eum vero uno impetu fortioribus cohibere adſtringentibus, eſt naturæ molimina perturbare, cum iſta tam alvum, quam ſudorem impediant. *a*)"

a) *Huxham* Op. p. 91.

FEBRIS INTERMITTENS.

Ad aliam latiſſime dominantem febrium claſſem tranſitum facimus, illas ſcilicet febres, quæ inter duos paroxysmos intercalare ſanitatis ſtadium ſolent relinquere. Hæc tamen intermittentes febres, ſi ſingulos illarum paroxysmos reſpicias, æque ad acutos morbos pertinere, ac alias hucusque recenſitas febres, *Sydenhamus a*) ſtatuit. „ Quamvis ſi minus accurate, haud tamen minus vere loquamur, iſti etiam morbi pro acutis ſunt habendi, qui, licet reſpectu paroxysmorum, ſi omnes ſimul ſumantur, tardius moveant,

re-

reſpectu tamen paroxymi cujuslibet particularis, cito, atque etiam critice, ad finem perveniunt, quales ſunt febres intermittentes omnes.

a) *Sydenham* Op. p. 38.

PRIMA FEBRIUM INTERMITTENTIUM DIVISIO.

Dum in omni febre intermittente tria ſint conſideranda, tempora ſcilicet præſentis abſentisque febris, atque intervallum temporis, e quo reverti conſuevit, a temporum iſtorum differentia facillima omnium fuit harum febrium claſſificatio, ab ordine ſcilicet intervallorum temporis, e quibus acceſſiones redeunt, ſeu *periodo*.

1) Hinc primo habetur febris intermittens *quotidiana*, ſi quovis nychthemero (calculo inito a primæ acceſſionis exordio) febris revertatur ita, ut acceſſiones omni in re ſibi ſint ſimiles. De his adnotat Celeberrimus Clinicus Peſtenſis *D. Trnka de Krzwiz a)* in doctiſſimo de febribus intermittentibus tractatu ſequentia: „ Reperire eſt medicos, qui quotidianam intermittentem aut dari omnino negent, aut ſaltem quam rariſſimam eſ-

ſe arbitrentur; neque eam febrem, quæ quotidie repetit, aliam, quam duplicem tertianam, quartanamve triplicem, aut e continuarum, quæ ab intermittentium indole per omnia abludunt, proſapia eſſe velint: quorum e numero fuerunt *Fernelius*, *b*) *Platerus*, *c*) *Sennertus*, *d*) ac noviſſie *Senac*. *e*), aliique. Verumtamen, etſi ſæpe numero medici aut minus intenti, aut parum gnari etiam reduplicatam tertianam quartanamve pro quotidiana per errorem habuerint; nihilo tamen minus errorem ejusmodi ad eos quoque viros perinde pertinere poſſe exiſtimo, quibus nec ignorantia, nec oſcitatio facile objici poteſt, quique vitium id genus in diagnoſi committi poſſe haud erant neſcii. Quod vero magnopere contendit *Senac.*, in febre, quæ vulgo quotidiana audit, non eſſe certam aut notabilem apyrexiam, nec lateritium urinæ colorem, neque quidquam characteris veris intermittentibus proprii; in cura porro ſpecifica aut fruſtra eſſe, aut obeſſe etiam, quæ in vera intermittente alioquin vix unquam fallunt; de hac febre in genuinis *Hippocratis* operibus reperiri nihil; de *Galeni* experientia ſeſe vereri, a *Celſo* varie eſſe deſcriptam, *Mercuriali* nunquam, rariſſime *Riverio* obtigiſſe obſervandam &c. iſta ejusmodi ſint, judi-

dicet, quotusquisque æquus arbiter. Interea quotidianas veras obſervavit, ait *Werlhoff*) & diſtinxit a febribus ex alia periodo duplicatis antiquitas, & nos multoties manifeſte notavimus. „ Longus eſſem, ſi vel nomina clariſſimorum virorum, qui quotidianam veram obſervaverant, in medium adferrem. Quid quod *Fridericus Hoffmannius* ipſe, qui primum eam negavit, in aliam demum conceſſerit ſententiam, docueritque, quibus notis ab alio febrium quarumvis, quotidie ingruentium genere dignoſcatur. *g*)

a) Hiſtoria febr. intermitt. Vol. I. Vindob. 1775.
b) Path. L. II. c. 12.
c) Prax. med. T. VII.
d) L. II. de febr. c. 19.
e) De recond. febr. natura. L. I. c. 1.
f) Obſ. de febr. Sect. in §. 4.
g) Med. R. S. Tom. IV. P. I. S. I. c. 3.

2) *Tertiana*, ſi tertio quovis die revertatur, id eſt, in qua bini ſemper dies ab acceſſionis cujusvis initio ad proxime ſequentis acceſſionis initium elabuntur, acceſſionesque ſibi ſunt ſimiles.

3) *Quartana*, ſi inter duarum acceſſionum ſibi ſimilium exordia tres ſemper dies intercedant. Idem porro eſt dierum ordo ac ratio in febribus intermittentibus, ex interval-

lo longiori revertentibus, quemadmodum *Quintana*, & *Sextana*, qualem *Stollius* quoque aliquoties obſervavit. Rariores omnino ſunt longioris periodi, e. g. *ſeptanæ*, *octanæ* &c. quales apud obſervatores paſſim occurrunt, quorum catalogum *celeberrimus Trnka* exhibet. *a*)

a) L. c. p. 15. & ſeq.

Sed etiam complicari ſolent periodi harum febrium, idque duplici modo fieri ſolet: 1) dum plures ejusdem typi febres (v. g. duæ, vel tres quartanæ), ægrum vel eodem die, vel alternis prehendunt. 2) dum æger pluribus, diſparis typi febribus, dato quodam tempore tenetur, v. g. ſi quotidiana cum tertiana juncta ſit. Hinc febris intermittens nuncupatur:

1) *Simplex*, cujus acceſſiones inter ſe omnes ſunt ſimiles: id eſt, quarum tempora invadendi (hæc tamen non ſemper) homologorum ſtadiorum ſymptomata, vehementia, & duratio, eodem ſe modo habent.

2) *Complicata*, cujus bini quique, vel plures etiam paroxysmi ſeſe continuo ordine conſequentes, inter ſe ſunt diſſimiles, ita tamen, ut eorum ſinguli, eodem ordine, quo cœperunt, proprios ſibi habeant circuitus.

Com-

Complicatarum febrium ſpecies frequentiores ſunt:

1) *Duplex* vel *duplicata*, ſi duo quique paroxysmi ſeſe proxime excipientes, inter ſe diſcrepent, ita, ut horum prior ſit ſimilis 3. 5. 7. 9. &c. in progreſſione arithmetica numerorum imparium: poſterior vero ſit ſimilis 4. 6. 8. 10. &c. in ſerie arithmetica numerorum parium.

2) *Triplex*, vel *triplicata*, ſi quivis tres paroxysmi, ordine ſeſe conſequentes inter ſe differant, ſitque eorum primus ſimilis 4. 7. 10. ſecundus 5. 8. 11. tertius 6. 9. 12.

Ceterum de duplicatis notandum eſt monente *cel. Vogel. a*) eas ſub curatione primum in ſimplices transmutari; atque univerſim omnes complicationes, morbi gravitatem notant. Dein ſingulare id quoque eſt, obſervari ſubinde in febrium intermittentium duplicatarum decurſu, ut bini ſibi correſpondentes paroxysmi anticipent, reliquis non item, imo iisdem potius poſtponentibus, ac ſi duæ tresve, ab ſe invicem omnino diverſiſſimæ febres eſſent. *a*)

a) *Vogel* med. Handbuch P. I. p. 45.

Etſi diviſio hæc ad curam febrium intermittentium non multum conferat, ad hoc tamen quodam modo utilis habetur, quod medicus, hac febris intermittentis ſpecie quadam oblata, judicium aliquod de facili aut difficili harum febrium curatione ferre poſſit. Experientia enim conſtat, quotidianas intermittentes, cum in corpora potiſſimum pituitoſa incidant, magnis premi difficultatibus, & longas habere curationes. Quomodo autem quotidianæ ab aliis intermittentibus diverſæ periodi, debeant dignoſci, infra docebimus. Tertiana omnium frequentiſſima eſt, & ſub bona methodo maxime obediens. Pertinaciſſima eſt quartana, atrabilarii humoris ſoboles

FEBRES INTERMITTENTES VERNALES ET AUTUMNALES.

Majoris momenti febrium intermittentium diviſio ab anni tempore, quo ſolent regnare, petitur. Hinc duplex claſſis intermittentium, *vernalium* ſcilicet, & *autumnalium*.

Febres vernales incipiunt ab initio menſis Februarii ad finem Junii. Febres autumnales graſſantur ab initio Julii ad finem Januarii. Re ipſa inter febrim vernalem & au-

autumnalem nullum prorſus diſcrimen datur, una eademque indoles eſt, quocunque anni tempore graſſetur. At vero alia eſt morborum cum febre complicatio tempore verno, alia tempore autumnali; vere, ut ſcimus, peripneumoniæ, pleuritides, atque univerſim morbi inflammatorii regnant, unde febres intermittentes vernales non raro phlogiſtici quid habent; autumno graſſantur bilioſæ affectiones, morbique putridi; qui febribus intermittentibus facillime junguntur. Hinc febrium autumnalium pertinacia a complicato morbo bilioſo, bilioſo-putrido provenit. Univerſim alia eſt veris, alia autumnali tempore corporum conditio. Hinc diverſus intermittentium character, prout in hoc vel in illud tempus incidunt, hinc diverſa earundem medela. Benignior utplurimum eſt intermittentium vernalium præ autumnalibus natura, nam:

1) Breviores ſunt, faciliusque curatu. Animadverti, ait *Sydenhamus a*) intermittentes vernales rariſſime fuiſſe diuturnas, ſemper vero ſalutares; utut vel maxime ſenex, vel debilis quisdam officioſiſſima damnoſiſſimaque, imperitiſſimi cujuslibet περιεργια, modo probus is fuerit, e medico tolli vix queat. Contigit mihi tamen videre tertianas

vernales, quæ ob phlebotomiam & catharſin indebite celebratam, & regimen inſuper cum morbo male quadrans, moras traxere etiam usque ad tempus illud, quo autumnales ſolent invadere; quæ tempeſtas, cum hujus morbi genio ſit admodum contraria, eundem continenter extinguit. Ægro interim frequenti paroxysmorum reduplicatione, & duratione longiore, ita pene confecto, ut in extremis verſari videatur; quæ nihilominus, quatenus mihi hactenus obſervare mihi licuit, ſemper eſt eluctatus. Neque in convaleſcentibus ab hoc morbo, mihi adhuc ſubiit videre graviſſima illa ſymptomata, quæ intermittentes autumnales diuturniores ſequuntur; letalem intelligo tonſillarum inflammationem, ventrem induratum, tumores hydropicos &c. Plus ſemel tamen adverti, ægros a morbi diuturnitate, & paroxysmorum geminatione, (accedentibus ad malorum cumulum evacuationibus repetitis) ad ſummam debilitatem redactos; ubi primum cœperint convaleſcere, in maniam incidiſſe, quæ pari cum illo paſſu receſſit, quo eorundem vires de novo redintegrabantur.

a) *Sydenham* Op. p. 85.

2) Cum intermittentes vernales in ea tempora incidant, ubi late ſolet dominari phlogoſis, perſpicuum eſt, inflammatorii characteris illas fieri participes.

3) Sanatu facillima eſt, & ſæpe absque magno remediorum apparatu recta in ſanitatem tendit. Vernalium enim curationem quod ſpectat *a*), licet illas ſuo ſemper arbitrio permittendas exiſtimaverim, & nihil prorſus movendum, cum nemo quisquam, quod ſciam, earum unquam opera fatis conceſſerit, atque ex adverſo, qui illis abigere fatigerunt, remediis præſertim evacuantibus, id tantum egerint, ut morbus inde confirmatior pertinacius obſiſteret; ſi tamen importuna ægri impatientia medici opem enixe obflagitet; intermittentes variis modis, & quidem cum optato exitu, adgredi licet, ut mihi non infrequenti obſervatione abunde conſtitit. Nonnunquam emeticum tempeſtive propinatum, ut nempe ante paroxysmum negotio ſuo defungi poſſit, feliciſſime ſucceſſit; præſertim, ſi quantitatem mediocrem *de meconio*, vel cujusdam narcotici, poſt finitam emetici operationem, exhibueris immediate ante paroxysmi inſultum. Eſt ubi ſanitatem videas reſtitutam per *diaphoretica*, quæ ſudorem in paroxysmi ſolutione obortum promoveant,

veant, ægro interim optime ſtragulis coo-perto; id quod tantopere, ac tamdiu facien-dum eſt, quamdiu vires ægri patiantur. At-que hoc in vernis intermittentibus, præci-pue quotidianis, ſæpe obtinuit: humoribus enim in hac tempeſtate non admodum craſſis exiſtentibus, ſolutio alias imperfecta futura, in perfectam adoleſcit, quod quidem in au-tumno nunquam accidet. Quid quod clyſte-ris in febribus intermittentibus per triduum vel quatriduum adhibiti beneficio, tertianas aliquando curaverim. "

a) *Sydenham* l. c. p. 86.

3) Medicatrix ſæpe febribus vernalibus virtus ineſt. Febres intermittentes vernales ordinariæ, teſtante *Huxhamo a*) interdum valde bonum præſtant effectum, dum ſanguinis lentorem, ejusque morbidam infringunt co-hæſionem: ut atmoſphæram craſſam, nebulo-ſam purificat procella. Robur ineunte vere exſuſcitatum, & auctus naturalis æſtus, aë-risque ſiccitas rare faciendo attenuandoque graves & glutinoſos humores, ac aperiendo poros, efficiunt, ut æſtate accedente febres in intermittentes vernales abeant. Et probabi-le eſt, exſuſcitantem atque attenuantem ve-

ris,

ris, omnia concitantis, influxum, qui naturæ impellit vires, ut lentam ac glutinoſam colluviem, in quibusdam hyeme frigido humidoque inſigniter collectam, removeat, cauſſam aliquam ad minimum febrium intermittentium vernali tempore crebriorem eſſe poſſe. — Totam naturam tali anni tempore aliquam orgasmi ſpeciem ſubire, res eſt certa; ſic quoque vegetabilia rigida novam recipiunt vitam, & concreti eorum ſucci novo agitantur motu. Hinc quoque patet, omnes ægritudines, quæ ab autumnalibus febribus ſuperſunt, verna intermittente tolli, alia ſcilicet corporibus diatheſi ſuperveniente, ac autumnali tempore obſervabatur. Notum eſt, febres æſtivas, biliofas, imprudenter ſuppreſſas, bilioſam cacochyliam progignere, unde plurima mala, arthritis præcipue, & diræ nervei ſyſtematis affectiones oriuntur; hæ reliquiæ verna intermittente febre feliciſſime nonnunquam diſparent.

a) *Huxham* Op. Tom. II. p. 34.

Alia longe ratio eſt febrium intermittentium autumnalium, quæ & diuturnitate & periculo a vernalibus diſcrepant; ad bilioſas enim & putridas febres magis accedit, variis modis a conſueto intermittentium tramite de-

fle-

flectunt, magnamque morborum ſeriem poſt ſe relinqunt. Hæc intermittentium ſebrium diſpar indoles ſummi momenti habita eſt a *Sydenhamo a)* „ Intermittentes autumnales longe aliter ſe habent. Primo enim *tertianæ*, licet quibus annis epidemica non eſt, & ſanos invadit, cito ſe nonnunquam proripit, neque pluribus ſtipatur ſymptomatis, quam quæ verno tempore contingere ſolent tertianæ; ubi tamen epidemice graſſatur, & ætate provectiores, aut pravo corporis habitu præditos ferit, haud vacat periculo; quin etiam ad menſes duos, vel tres, forte etiam in ſequuturum usque ver tyrannidem exercet. Deinde *quartanæ*, & periculoſiores ſunt, & obſtinatiores longe, quam ſunt illæ, de quibus ultimo diximus. Ubi enim natu grandiores impetunt, eosdem paucis adhuc paroxysmis multatos, quandoque jugulant; quo in caſu æger tempore exhorreſcentiæ, ineunte adeo paroxysmo, utplurimum moritur. Quod ſi æger in ſenectutis tantum fuerit confinio, necdum ejus limen prætergreſſus, licet non in eodem verſetur diſcrimine, ne inter paroxsymos primo laceſſentes luce privetur, haud tamen facile a febre hac elabetur, niſi vertente anno appetenteque illo tempore, quo primo corripiebatur. Nonnunquam etiam

hæ-

hæret lateri lethalis arundo, nec niſi a morte lanqueſcenti decutitur. Quartana interim typum ſubinde variat, plurima etiam parit ſymptomata, ſcorbutum v. g. ventrem induratum, hydropem &c. Juniores vero ferendo huic morbo pares ſunt, a quo nonnunquam circa *ſolſtitium brumale* liberantur, frequentius tamen, non niſi adveniente verno æquinoctio, vel etiam autumno inſequenti, ubi ſcilicet venæ ſectionem, aut catharſin admiſerint. Sæpe non ſine ſtupore ſum intuitus, infantes tenellos, cum hoc morbo per totos menſes ſex commiſſos, nec oppreſſos tamen, ſed de eodem, *Herculis* inſtar pueri, in cunis triumphantes. *a*)

a) *Sydenham* Op. p. 84.

„ Quod ad curam febrium autumnalium attinet, non tam levi opera ſe amoveri patiuntur, ut intermittentes vernæ. Si autumnalis conſtitutio fuerit epidemica, circa Junium adultum ſolent invadere; ſin minus, Auguſtum præſtolantur, & Septembris initium; in ſubſequentibus vero menſibus rarius occurrunt.

„ Cum earum ingens aliquod agmen ſimul invaſerit, obſervare licebit, earum paroxsymos plerumque una eademque diei ho-

ra contingere, acceſſionibus nunc præverten-tibus, nunc poſtponentibus, ſimili plane modo, atque eodem tenore, niſi quod accidere queat, ut ordo ille medicamentis adhibitis, quæ retardandi, vel præcipitandi vi pollent, in quibusdam corporibus immutetur; vel pervertatur.

„ Obſervandum eſt etiam, quod in principio febrium intermittentium (epidemicarum præcipue, quæ autumno contingunt) haud ita in proclivi eſt typum, ſub primis invaſionis diebus, rite diſtinguere, quandoquidem febre continua adſcita primum adoriuntur, neque facile eſt aliquamdiu, niſi diligenter adverteris animum, quidquam aliud, præter aliqualem morbi remiſſionem deprehendere, quæ tamen paulatim in perfectam deſinit intermiſſionem, & typum anni tempeſtati apte reſpondentem. Typorum ratione vel tertianæ ſunt, vel quartanæ. Atque de quartanis quidem illud merito affirmari poteſt, eas genuinam eſſe autumni ſobolem. Utræque profecto ea affinitate inter ſe connexæ ſunt, ut ſæpe numero vices permutare, ſaltem ad tempus deprehendantur, mox fortaſſis ad priſtinum genium rediturae. Sed tertianæ vernales quartanarum typos nunquam induunt, cum toto, ut ita dicam, cœ-

lo

lo a ſe invicem diſtinguantur. Neque porro obſervari unquam, hac tempeſtate quotidianam contigiſſe, niſi quis tertianam duplicem, vel triplicem quartanam hoc nomine cenſuerit ἀκοϱολογως apellandam. *a*)

a) *Sydenham* l. c. p. 86.

At ſubinde inverſam eſſe vernalium & autumnalium rationem, ipſe quoque *Sydenhamus* notavit: quod tum fit perverſa medela, tum mutato tempeſtatum ordine, quo diverſa corporibus diatheſis inducitur, atque febris tum ſtationariæ, tum annuarum etiam febrium ratio invertitur.

Ipſæ febres tertianæ vernæ obſervat *Huxhamus a*), quæ ſæpius ſibimet ipſi tempeſtate favente medentur, nonnunquam æſtate humida, pluvioſa, inſigniter fiunt pertinaces; & ægroti admodum ſunt proni, ut leviſſima data occaſione iterum in illas recidant; quod ſingulari ratione fuit obſervatum æſtate iſta humida frigidaque anni 1743 & 1745. Quibus in rebus uſum juſculorum carnis, quotidianum, crebrioraque balnea frigida ad avertendas recidivas magnæ utilitatis eſſe cognovi. Hyemis frigus fortaſſis eſt, quod cum fibras contrahat, plerumque febres intermittentes tali tempeſtate tollat; nam illas hye-

me calida & humida, eſt obſervatum, fuiſſe valde pertinaces.

a) *Huxham* Op. Tom. II. p. 34.

Ceterum id adhuc adnotare liceat, quo modo febres intermittentes ad morbos acutos generatim, atque ad alias præcipue febres ſe habeant: Primum quod attinet, eas cum acutis comparat *Sydenhamus*, non equidem reſpectu paroxysmorum ſimul ſumptorum, utpote tardiorem decurſum exhibentium, ſed reſpectu paroxysmi cujuslibet particularis, quo cito atque etiam critice ad finem perveniunt. *a*) A continuis enim febribus intermittentes febres nullo diſcrimine ſejunguntur, ſi ordinem ſpectes, quo natura earundem materiam expellere ſolet, ſcilicet per effervеſcentiam certa perioda comprehenſam. *b*)

a) *Sydenham* Op. p. 38.
b) Idem p. 90.

Aliam comparationem inter febres intermittentes & alias febrium ſpecies *Huxhamus* inſtituit:

„ Ex his omnibus, quæ hac de re ſunt dicta, apparet, intermittentem ordinariam tertianam, inter inflammatoriam & lentam nervo-

ſam eſſe intermediam; atque fluidorum ſoli-dorumque conſtitutionem ex altera parte tantum commoveri poſſe, ut ſanguinem ad febrim continuam inflammatoriam exæſtuet: & ex altera parte tantum deprimi poſſe, ut effectum lentum, vel nervoſam febrim progignat. Inde quoque cauſſa atque curatio talium febrium aliquo reſpectu ob oculos poſitæ videntur. Cum vero quodlibet febrium genus naturæ ſit conamen, quo ſe ipſa quacunque a re, quæ ipſi moleſta eſt, liberare annitatur, nos ejus conaminibus modo, quem ratio & experientia ſuadet, ſemper ſuccurrere oportet convenientiſſimo. At caute admodum agere debemus, idque inprimis in principio, qua ratione in conanimibus adjuvandis aut cohibendis pergere velimus, donec bene naturam, quantitatem & qualitatem morbi, ægrique conſtitutionem conſideravimus. Quorum reſpectu in binas has res, in ſtatum puto ſolidorum & fluidorum, diligenter inquirere, ſumme erit neceſſarium. *a*)

a) *Huxham* Op. Tom. II. p. 36.

FEBRIS INTERMITTENS SPORADICA, EPIDEMICA, ENDEMICA.

Alia febrium intermittentium diviſio a cauſſis procartarcticis deſumitur, ut triplices ideo habemus intermittentium ſpecies, ſcilicet, ſporadicas, epidemicas, endemicasque.

Febris intermittens *ſporadica*, omnium horarum eſt, atque in homine prædiſpoſito, a quam plurimis cauſſis in actum poteſt deduci.

Sed obſervatione conſtat, febres intermittentes ſubinde epidemicas late per populum dominari. De febrium harum epidemico imperio ſequentia notanda ſunt:

1) Eas ſubinde ad ſtationariæ febris dignitatem evehi. Subinde longa annorum ſeries interlabitur, quin talis Epidemia dominetur. Ita, obſervante *Sydenhamo*, anni 1678 conſtitutio prorſus immutata febribus intermittentibus (quæ jam ab anno 1664, ad tredecim ſcilicet annos, urbe fere exulaverant, niſi quod nonnullos ſporadice occuparent, vel ex agris forte comitarentur) usque adeo favebat, ut epidemicæ rurſus audirent; neque eum tamen gradum hodie tuentur, quin & fines latius proferent, donec hæc, a qua pendent, aëris diatheſi, ſuam ἀκμήν attigerit. Quantumlibet autem dictæ inter-

mit-

mittentes, pauciores aliquot etiam tempore verno fuerint adortæ, eousque tamen exeunte æſtate, & autumno ſubeunte, præ cæteris ſæviebant, ut nulli amplius morbi epidemici nomen relinqueretur. Hyeme vero paulatim fatiſcentes, variolis locum cedebant, atque aliis inſuper Epidemicis, qui per omnia dominabantur, donec intermittentibus apta tempeſtas in orbem rediret. *a*)

a) *Sydenham* Op. p. 297.

2) Anni tempeſtatem ſi reſpicias, ea præprimis febribus intermittentibus favet, quæ humiditate, ſeu calida, ſeu etiam frigida peccat. Peculiarem eſſe aëris atmoſphærici conſtitutionem, quæ febribus intermittentibus generandis favet, *Grant* exiſtimat. Frequentiſſimæ febrium intermittentium epidemiæ autumno pluvioſo prægreſſo obſervantur.

3) At id etiam mirum eſt, febres intermittentes in quibusdam telluris plagis aut nullas eſſe, aut oppido raras. Etenim febres, quæ in Indiis, teſte *Boentio a*), naſcuntur, plerumque aut ſunt ſymptomaticæ, aut continuæ per ſe, ac, ut fere ſemper, ſynochi putridæ. Quæ vero certam periodum ſervarent cum intermiſſione, vix meminit auctor ſe vidiſſe, niſi unam ac alteram quarta-

tanam, eamque cum ægro e patria delatam, quæ hic miſerrime in hydropem, & inde in certiſſimam mortem deſiere. Tertianæ tam raræ ſunt, ut liceat hic dicere, quod hirundo una non faciat ver. Nullas quoque intermittentes reperiri in promontorio bonæ ſpei *Petr. Kolb b*), in inſulis S. *Thomæ*, & S. *Crucis Dethardíng c*), in *Islandia* & in *Gronlandia Anderſon d*), memoriæ prodiderunt. In *Scotia* rariſſimas obſervari quartanas, refert *Alex. Monro. e*) Complures etiam Sueciæ plagas recenſet *Linnæus f*), in quibus intermittentes vel perquam raro, vel raro nunquam omnino, niſi aliunde eas ægri ſecum illuc adferant, videre eſt. *Hernesjandiæ* narrat hic auctor, unus quidam febre corripiebatur, ſed *Holmia* redux: scholares pueri accurrebant, quaſi ad portentum, ut viderent hominem media æſtate algentem. Raræ etiam in *Norvegia* intermittentes. *g*)

a) De methodo medendi in Indiis orient. L. V. c. 14. 15. *Lind.* Eſſay upon the diſord. incid. to Europ. in hot clim. P. 36—60.

b) Vollſtändige Beſchreibung des afrikan. Vorgebürges der guten Hoffnung. Fol. 537. ſeq.

c) *Dethardíng* diſſ. de morbis advenas in America vexantibus anno 1845.

d) Nachrichten von Island und Groenland. p. 166.

e) Eſſay d' Edinburgh. Tom. V. p. 2. art. 47. obſ. 9.

f)

f) Amenit Acad. Vol. Diſſ. I. Hypoth. nov. de febr. intermittent. cauſſa. §. 7. ſqq.

g) *Celeberrimus Bang* Praxis medica. p. 36.

Sun'ne, ait *Cel. Trnka a)*, horum locorum aër, ingeſta &c. ita natura comparata, ut ibi peculiari prædita indole, ab aliorum locorum aëre, ingeſtis, &c. diverſa, incolarum humores ad degenerationem producendæ febri intermittenti idoneam, reddant minus aptos? An ſolidis, ac præſertim nervis tantum robur conciliant, ut in ejusmodi febriles turbas, aut omnino non, aut ægerrime ſaltem cieri queant? An utrumque forte efficiunt? Primum jam veroſimile videbitur, ſi conſideres, variolas in Inſula S. Helenæ nunquam graſſari, tametſi earum contagium eo deferatur; contra vero facile ab eodem incolas affici, ſi quis eorum ad Angliam tranſeat. *b)* Sed nec alterum a vero abeſſe, perſuadet obſervatio *Petr, Kalm c)*, de *Verſæ novæ* incolis, quorum eos, qui prope ferri fodinas habent domicilia, vix unquam febribus intermittentibus corripi narrat, &, ſi corripiantur, martialium aquarum potu facillime ſanari. Verum ſi veroſimilia ſectari lubet, immunitatem horum locorum a febribus, defectui aquæ argillaceæ veroſimillime tribuendam eſſe: quippe quam & uni-

cam, ac genuinam intermittentium cauſſam agnoſcit *Linnæus d)* ,ita, ut ex hujus cum tranſpiratione ſuppreſſa concurſu, cauſſam morbi proximam progigni arbitretur.

a) L. c. p. 126.

b) The Gentelmen's Magazin Vol. XXV. for the year. 1755.

c) In itinere ſuo ad Americam ſeptempt. Tom. II. p. 441.

d) *Linnæus* Diſſ. cit. §. 37 & §. 54.

Endemicæ porro febres intermittentes unam primariam fere ſequuntur cauſſam; videlicet loca humida ac frigida, qualia ſunt: paludoſæ planities; mœnia foſſis aquam ſtagnantem habentibus cincta; littora & ripæ; rivuli paucam aquam vehentes; ſtagna & piſcinæ; valles montium nivoſorum &c. Ex horum enim locorum aquis ſub initium veris, & autumni medium, ſpiſſæ copioſæque nebulæ, unctuoſi quid habentes, matutino præſertim ac veſpertino tempore, aſſurgunt, accolarumque loca proxima pervadunt, & cooperiunt. Sub exitum porro veris initiumque autumni, aut maturius, ubi ſolis calor increvit, ſemiſiccata illius loca teterrimam humidam exhalant mephitin, præprimis vero ea, quæ in latrinas ſeſe exonerant, vel piſcinæ, quarum aqua ob capturam piſcium alior-

alſorſum derivata eſt. Atque hæc ipſa in cauſſa ſunt, cur adeo Hungariæ urbs *Temeswar* a febribus intermittentibus ſit infamis, uti & nonnulli occitaniæ in Galliæ tractus; ubi inter vicinas incolas, vix binos reperiri ait *Senac.* a), qui febrim intermittentem non ſint experti. Idem fere de Bremenſibus notat *Don Monro* b), de Laxenburgo, Auſtriæ oppido, *Lautter* c); *F. cas. Medicus* d), illos maxime epidemica febre, a ſe deſcripta milites corripi obſervavit, qui juxta munimenti foſſas, ex aquis ſemiſiccatis peſſime fœtentes, præſidii ſtationes tenebant. Similia etiam Joannes *de Muralto* e) caſtelli, in medio paludum ſiti, inquilinis accidiſſe refert.

a) *Senac.* de rec. f. nat. C. 7. §. 7.

b) *Monro* Beſchreibung der Krankheiten in dem brittiſchen Feldlaza. p. 160.

c) *Lautter* Hiſtor. bienn. morb. rural. p. 187.

d) *Medicus* Beobachtungen. §. 66.

e) *Eph. N. C.* Dec. II. Annus 7. obſ. 120.

TRIPLEX STADIUM FEBRIS INTERMITTENTIS.

Paroxysmum legitimum febris intermittentis tribus eſſentialibus, ut ita dicam, ſymptomatibus, frigore ſcilicet, calore, ac ſudore

re abſolvi, vel in vulgus notum eſt; his in corpore geſtis, quies iterum, ſeu apyrexia redit. Sed apyrexiæ duratio perinde, ac paroxysmi variat, ita, ut vel eadem hora, qua acceſſio prima contigit, habita ratione ad acceſſiones inſequentes, terminetur ſemper, vel vero citius, aut tardius, quo fit, ut febris intermittens dicatur.

1) *Conſiſtens*, cujus acceſſiones eadem ſemper hora invadunt, eodem durant tempore, ut proinde integritatis quoque tempora ſint æqualia.

2) *Anticipans*, cujus quælibet acceſſio poſterior præcedente maturius ingruit. In his ergo febribus apyrexiæ continuo evadunt breviores, non ſine ægri detrimento. Anticipantium id genus febrium variæ paſſim occurrunt hiſtoriæ, ſic meminit *Amatus Luſitanus a*) tertianæ, in qua paroxysmus ſingulis invaſionibus ſingulas tres horas anteponebantur, adeo, ut ad horam, unde cœperat, deſierit. *Andreas Löw b*) obſervavit quartanam gravem in viro quinquaginta ſex annorum, cujus acceſſio quæque decem ſemper horis ſolito maturius redierat.

a) Centur. V. curat. 19.
b) Eph. N. C. Dec. II. Ann. 8. Obſ. 124. p. 268.

3)

3) *Poſtponens*, cujus quælibet acceſſio poſterior præcedente ſerius revertitur; ut idcirco poſtponentis febris apyrexiæ fiant una ex altera diuturniores, magno ægrorum commodo. Hujusmodi erant febres a *Caſſim. Medico a*) ſua in epidemia obſervatæ, quarum acceſſiones nonnullis ægris exacte ſemper bihorio tardius rediere, quantumvis ex eo de vehementia illarum deceſſerit nihil.

a) Sammlung von Beobachtungen. I. Band §. 26.

Anticipationes & poſtpoſitiones memoratæ, pergit *Eximius Trnka a*) tam ſunt plerumque ad regulam, quam quæ maxime: quales fuere in quartana illa a *Marcello b*) ad poſteros tradita: „ Obſervavimus, inquit ille, in *Petro Antonio Carnago* admirandum quartanæ typum. Hæc primario prima, & ſecundus paroxysmus ſecunda hora diei, tertius tertia, & ſic ſucceſſive ad vigeſimam quartam diei, vigeſimam tertiam, vigeſimam ſecundam, & ſic ſucceſſive ad primam horam diei; iterumque reverſa eodem ordine ad noctem, & a nocte ad principium diei, ſemperque eodem greſſu, quousque penitus extincta deſiit. Ita etiam apud *Riedlinum c*) quidam notavit primum paroxysmum quatuor horis citius rediiſſe, huncque ſequentem octo,

pro-

proximum ab hoc duodecim, & huic proximum ſedecim horis anticipaſſe. Quin imo nonnullis febribus proprium eſt poſtponere, nonnullis anticipare. *Werlhof* d) tertianis poſtponere, anticipare quotidianis tribuit Curioſum eſt, inquit (quod adeo ſæpe, licet non ſemper, notavi, ut quamdam naturæ legem, & certam proportionem cauſſæ typorum generalis ad corporis humores, & ſtructuram, ſubeſſe ſuſpicet) conſueviſſe tertianas, antequam ad certum diei tempus ſe adſtrinxerunt, per tres accurate horas, ſive octavam diei partem, anticipare, quotidianas autem veras poſtponere per horas duas, ſeu partem nychtemeri duodecimam.

a) l. c. p. 38.
b) Hiſt. Med. mirab. L. III. c. 14.
c) Lin. Med. Ann. II. April. obſ. 20. p. 185.
d) *Werlhof* obſervat. Sect. VI. §. 4.

Ad aliam nunc febrium intermittentium diviſionem progredimur, quæ non ſolum ad fauſtum vel infauſtum morbi exitum prædicendum facit, ſed quarum etiam ſanatio medentis judicium acriter exercet.

FEBRES INTERMITTENTES LARVATÆ.

Vix legimus aliquod morbi ſymptoma, ex quo non conſtet, ſub eo febrem rarius ſæpiusve delituiſſe. Febres hæ larvatæ, ſubinde absque noto ſolemnique febrium ſymptomate redeunt, absque horrore, æſtu, ſudoreque. Subinde vero febrilis character quidem adeſt, & febris ſua ſtadia percurrit more conſueto, ſed junctum ſibi habet peculiare quoddam ſymptoma, a quo potius, quam a febrili paroxysmo morbus nomen ſortitur. Subinde febris ſimplex eſt, ſed quæ poſt aliquot paroxysmos in larvatam febrim, ſive in morbum periodicum tranſit. Nonnunquam vero in principio febris larvata eſt, ſive morbus periodicus, qui poſt aliquot recurſus in veram manifeſtamque febrem intermittentem abit.

Videamus quædam exempla febrium larvatarum. *Fridericus Hoffmannus* Op. omnium T. IV. p. es vidit apoplexiam omni mane recurrentem in homine 26 annos nato, poſtquam ante aquis ſelteranis uſus eſſet, paroxysmus apoplecticus ſemper vomitu terminabatur; en, quotidianam larvatam! *Richardus Mortonus* deſcribit apoplexiam in puero per

per modum tertianæ redeuntem, qui optime valere erat viſus tempore intercalari. *Huxham* & *Lautter*, aliique non pauci plura pariter exempla afferunt apoplexiæ periodicæ. Id ſolum noto, morbum hunc, ſive apoplexiam periodicam, antiquioribus fuiſſe & cognitam, & deſcriptam, nec eſſe ad monſtra & portenta medica, aut ad novos ultimorum ſæculorum morbos relegandam. Epilepſia periodica, catalepſis periodica, tremor artuum periodicus a multis autoribus obſervantur. Dantur non raro quotidianæ & tertianæ, ubi ſomno totus paroxysmus abſolvitur; ubi æger ſtato tempore invincibili in ſomnum proclivitate abripitur, & placide obdormit per unam alteramve horam, absque ullo alias conſueto febrilis paroxysmi ſigno, frigore, æſtu, ſudore. Hic ſomnus periodicus, per modum tertianæ recurrens, medicis frequenter occurrit. Delirium periodicum, anxietas periodica, melancholia periodica, ſpasmi periodici, miliaria periodica, frigus periodicum absque calore & ſudore; aut calor, aut ſudor absque reliquis ſymptomatibus; paralyſis, dolor membri cujusdam, vel oculi alterutrius, cephalalgia, hemicrania periodica, ophtalmia, cœcitas, ſternutatio periodica. Puellæ cuidam omni die, ſtato tempore

hy-

hypopia & naſus tumere & rubere incipiunt, cum dolore lancinante, diſtrahente iſtarum partium & capitis ſimul; pulſu naturali, aut qui naturali eſſet tardior; adeſt ſimul inſolitus oculorum ſplendor; contigit, ut per octo, & plures etiam dies malum non redeat; verum ſubinde bis etiam per diem ingruit paroxysmus; facile excitatur pathematibus animi, balneis pedum calidis, vapore aquæ tepidæ partes ſupernas allabente. Plurima jam fuere adhibita, absque eo, ut ex integro potuerit curari. Profuere ad aliquod tempus ſcarificationes in ſuris, ſupra genu, in femore, ad ſcapulas, nucham. Item malo obſtaculum aliquamdiu poſuit methodus refrigerans, alvum leniter movens. Nihil tam diuturnum levamen attulit, quam artificialis narium hæmorrhagia. Cortex incaſſum longo tempore exhibebatur, uti & omnis generis medicamenta nervina, roborantia, martialia, caſtoreata.

Obſervabantur præterea hæmorrhagiæ periodicæ, rheumatiſmi periodici, ſurditas, eryſipelas, tumor certæ cujusdam partis, angina pleuritis, aſthma, tuſſis, ſputum ſanguinis, cardialgia, fames, ſitis, hydrophobia periodica. Cholera periodica omni fere anno non infrequens viſitur; hanc ruri fre-

frequenter videre eſt, & utplurimum facile curatur, etſi vehemens primo aſpectu malum ſit; perſæpe per duos tresve paroxysmos morbus ſe ipſum conficit, & ceſſat; aut ſub ſpecie ordinati paroxysmi febrilis redit. Nam cum hic morbus autumnalis pro ſua cauſſa plerumque habeat ſaburram bilioſam, hæc autem ipſa orta cholera ejiciatur, fit, ut morbus ſe ipſum brevi juguler. Innumera adhuc dantur ſymptomata, quæ periodice redire ſolent, quorum recenſionem *celeberrimus Caſimir Medicus* peculiari libro exhibuit. *a*)

Geſchichte periodiſcher Krankheiten.

FEBRES INTEMITTENTES PERNICIOSÆ.

Alia febrium intermittentium diviſio eſt. ſi indolem illarum benignam vel malignam reſpicias. Aphorismus ille *Hippocratis*, qui febres, omnes, quomodocunque intermittentes periculo abſolvit, certe multum reſtringi debet. Sic ad pernicioſas, quæ ſcilicet ægrum intra tres, quatuorve acceſſiones plerumque conficiunt, pertinent.

1) Illæ. quæ ſuo peculiari adjecto ſymptomate ægrum e medio tollunt: ſic febres illæ apoplecticæ, tertio quartove paroxyſmo ſæpius vitæ finem fecerunt.

2) Item quædam quartanæ merentur perniciofis adnumerari, ubi videlicet paroxyſmus valido cum frigore aliquot horarum, hominem ſeniculum adgreditur; non pauca proſtant exempla hominum in febrili frigore enecatorum. Hoc mortis genere periit *Kanoldus*, inter medicos Wratislavienſes, qui contra corticem peruvianum ſcripſere, non ignobilis, quin & ipſorum coryphæus. Multa is ex omni parte corraſerat in odium corticis. Tandem & ipſe validiſſima quartana correptus, ſeniculus jam, nullis amicorum precibus adduci poterat, ut deſperato licet in caſu, adhibitis omnibus aliis remediis. ad corticem ab ſe proclamatum damnatumque confugeret; maluit mortem occumbere, vi febris quartanæ ſuppreſſus, quam ancipiti hoc, ut putabat, remedio uti, ſuæ propriæ pertinaciæ martyr.

3) Pernicioſæ ſunt febres intermittentes, quæ aut nulla, aut prava methodo tractatæ in malignas abeunt. Contingit hoc ſubinde tempore æſtivo & autumnali, ut intempeſtivis purgantibus, diutius protracto ſol-

ventium uſu, neglecto cortice peruviano, febris in continuam remittentem, & tandem in veram malignam mutetur, utique pernicioſam.

Ceterum notandum, febres *pernicioſas* & *larvatas*, & non *larvatas* dari, neque limites *pernicioſas* inter & *larvatas* ſemper & ubique facile poſſe determinari; cum multæ *pernicioſæ* febres conſuetis ſe febrium intermittentium ſignis haud prodant; tum quod multæ etiam *larvatæ* admodum ſoleant eſſe *pernicioſæ*. *a*)

a) *Vogel* Handbuch I. Th. p. 52.

Id interim hic ſcire intereſt, febres pernicioſas, ſeu larvatas, ſeu manifeſtas, rarius noſtris in terris epidemice graſſari, atque tunc maxime autumni eſſe ſoboles. Frequentius in calidis, humidisque, atque putridis effluviis inquinatis regionibus dominantur.

TRIPLEX FEBRIUM INTERMITTENTIUM STADIUM.

Quælibet acceſſio febris intermittentis, manifeſtæ atque legitimæ, tribus ſtadiis diſtin-

gui.

quitur, *frigoris* nempe, *caloris* atque *ſudoris*. Singula ſtadia breviter exponam:

Frigus febrile inchoat *oſcitatione*, & *pandiculatione* crebra, quæ ægri omnia membra extendunt, leni cum motu, & grato ſæpe ſenſu. His aliquoties iteratis mox ſuccedit,

Laſſitudo & *gravitas debilitasque* toto; corpore ſeſe exſerens adeo, ut ſeſe ſuſtinere vix amplius ægri queant, ſimulque

Eodem tempore *pallor* ſubit ungues, apicem naſi, labia, canthos, digitos, quin livor quandoque pallori ſe admiſcet, quemadmodum *Senac. a*) mulierem vidit, cui in hoc ſtadio naſus colore cærulæo ſuffundebatur quin maculæ aliquando lividæ, exanthema petechiale mentientes, cutem obſident, quod in plurimis ægris obſervavit *Illuſtriſſimus L. B. de Stoerk. b*) Cutis anſerina. Tandem

Frigus cum horripilatione, atque tremore corporis, qui in multis ægris a maxillis incipit, quæ celerrime ſæpe & alternis vicibus diducuntur, & adducuntur.

Reſpiratio laborioſa, anxietasque toto hujus ſtadii tempore adeſt, ſimulque

Pulſus celer, ſubinde tamen tardus, debilis parvusque, atque univerſim ſingularis.

Sitiſ plerumque adeſt. Nauſea & vomitus in hoc ſtadio rarius obſervantur.

In infantibus ſtadium hoc ſæpe a convulſionibus incipit, atque ex illorum ejulatu & artuum livore de præſentia febris intermittentis admonet.

Urina utplurimum eſt cruda & tenuis, pallida, aquoſa, uti hyſtericarum.

Duratio ac vehementia hujus ſtadii non ubique eſt eodem. Duratio ejus plerumque ad horam unam, duas, raro ad tres, quatuorve excurrit *c*); ſex tamen horarum fuit in juvene ruſtico *Hænii. d*) Vehementiam vero potiſſimum anni grandævi, brumale tempus, epidemica gravis, typus quartanæ, medicatio mala &c. efficiunt.

a) l. c. L. I. C. 9. §. 4.
b) Ann. med. II. p. 167.
c) l. c. C. 8. §. p. 44. quinque horarum vidit.
d) Ratio medendi P. XI. C. I. §. 3.

Cauſſam frigoris febrilis in intermittentibus ita explicat *Sydenhamus a*) „ Ad exhorreſcentiam, quod attinet, ut de his rebus ſummatim loquar, ego illam exinde oriundam arbitror, quod materia febrilis, quæ nondum turgeſcens a materia ſanguinea utcunque aſſimulata fuerat, jam tandem non ſolum inutilis, verum & inimica naturæ facta, illam

exa-

gitat quodammodo, atque laceſſit: ex quo fit, ut naturali ſenſu quodam irritata, & quaſi fugam molita, rigorem in corpore excitet, atque horrorem, averſationis ſuæ teſtem & indicem. Eodem plane modo, quo potiones purgantes a delicatulis aſſumptæ, aut etiam toxica incaute deglutita, horrores ſtatim inferre ſolent, aliaque id genus ſymptomata.

a) *Sydenham* Op. p. 78.

Veroſimillimum itaque eſt, ait *cel. Trnka* *a*) cauſſam frigoris febrilis eſſe ſpasmum vel univerſalem, vel topicum organorum circulationis, a peripheria corporis cœptum, atque ad intima propagatum; undecunque demum ille concitetur; hic enim non de prima, ſed proxima cauſſa agitur. Neque difficile eſt ex hac ſententia ſtadium primum, ejusque ſymptomata, quin reliqua etiam ſtadia exponere.

a) l. c. p. 66.

Stadio frigoris ſuecedit ſtadium *caloris*. Poſtquam enim præcedens aliquamdiu duravit, remittit ſenſim, donec *calor* exoritur, qui pedetentim abolendo pallorem tremoremque, ac reliqua ſtadii primi ſymptomata, increſcit ſemper magis, usque dum naturalem

gradibus aliquot excedat plerumque. Non ſequitur autem, ut nonnullis viſum eſt, caloris vehementia proportionem vehementiæ frigoris prægreſſi ſemper; quandoque obſervatæ ſunt intermittentes, quarum ſtadium primum tam duratione, quam vehementia frigoris ſpectata, fuit leniſſimum, quin aliquando nullum præceſſerit, exordio mox a calore capto, qui ſummus fuit in ſummo morbi gradu; ita & vehemens quandoque frigus excipit calor moderatus. *b*)

a) *Van Swieten* Comment. ad aph. 749.
a) *Senac*. l, c. §. 11.

Reſpiratio ſenſim evadit liberior, anxietatis jam expers; in progreſſu autem fit magna & fortis; ſimulque

Pulſus evadit magnus ac fortis.

Dolor capitis artuumque percipitur, iſte præſertim, ſi tremor validus præceſſit. Sunt qui delirant, ſcilicet bibuli, valde irritabiles, ob genium regnantis, ita anno 1780. plures autumno delirarunt.

Sitis calore continuat.

Urina in hoc ſtadio, pro ratione caloris plus minus *colorata* eſt, quemadmodum in febribus inflammatoriis.

Su-

Sudoris denique ſtadium ultimum his fere ſymptomatibus abſolvitur:

Sudor erumpit e toto corpore calidus, ac largus, cum omnium ſymptomatum febrilium levamine. Hanc evacuationem aliæ quoque non raro comitari ſolent. Scilicet:

Vomitus bilioſus, bilioſo-pituitoſus.

Seceſſus fluentes, olidique.

Urina autem emiſſa hoc ſudoris tempore, vel & jam poſt paroxysmum finitum ſæpe, ſequenti modo ſe habet: dum emittitur, *rubicunda* eſt, tota quaſi ſaponacea & ſpumeſcens; deinde poſtquam ſtetit per aliquot tempus, pellicula in ſummitate urinæ apparet, vaſis continentis lateribus accreta: in fundo autem vaſis magna copia ſedimenti hæret, quod colore ſuo laterum coctorum, vel boli Armenæ pollinem imitatur, unde & hæc *urina lateritia* ſolet vocari. Notandum tamen, non ſemper talem urinam hoc tempore adeſſe; nam poſt febres intermittentes vernas, & imprimis poſt tertianas exquiſitas, urina ſubroſa vel ſubflaveſcens ſæpe mingitur, cum nubecula, vel enaeoremate; quandoque & ſedimentum leve, æquale, & album habens. Imo & in primis intermittentium autumnalium paroxysmis quandoque talis uri-

na non invenitur, ſed plerumque tunc tantum, quando validiores paroxysmi adſunt. *a*)

a) *Van Swieten* l. c. ad aph. 751.

Somnus deinde non raro apparet, acceſſionem oblivione involvens; ex hoc enim excitati ægri plerumque bene jam ſe habent, niſi quod laſſi ac debiles adhuc tempore aliquo permaneant. Nonnullis tamen per apyrexiam vel cephalalgia, vel ſitis, vel aliud ſymptoma ſupereſt, cum pulſu plus minusve morboſo.

Tria hæc ſtadia enarrato hactenus ordine ſeſe in omni manifeſta febre excipiunt, & rarum, inquit *Ettmüller* eſt, inverti horum in paroxysmo ordinem, ita, ut calor præcedat, ſequatur frigus. *a*) Quare neceſſe eſt, id aliquando fuiſſe obſervatum, ut ex *Olao Borrichio* intelligitur, & non ita dudum iterum *Cas. Medicus b*) obſervaverat, acceſſionem quibusdam in ægris a calore cœptam in frigus deſiiſſe, nullo elicito ſudore. Contra alius tertianæ meminit *Schenk c*), cujus in ſingulis paroxysmis primum ſudor oboriebatur, cui rigor ſucceſſit, huic vero calor. Sed hoc non ſecundum legem, rariſſimumque eſt. Cum autem febres intermittentes duplici ratione conſiderari poſſunt, quatenus

nem-

nempe attenditur ad illa, quæ in ſingulis paroxyſmis contingunt, vel quando omnes paroxyſmi talis febris ſimul conſiderantur; patet ſingulos paroxyſmos habere ſuum initium, incrementum & ſtatum; tuncque comparando inter ſe, primus intermittentis gradus, ſeu ſtadium frigoris, reſpondebit illi ſtadio continuarum febrium, quod incrementum vocatur, in quo nempe magis magisque minuuntur ea, quæ de ſanitate ſupererant, & contra augentur illa, quæ a morbo pendent. Alterum vero intermittentis ſtadium, nempe caloris, reſpondet vigori febrium acutarum. Tertium denique, ſudoris ſtadium, acutarum declinationem æmulatur *f*), ubi criſis & ſolutio morbi fit. Quod adeo conſtans eſt, ut *Grant g*) non viderit unquam veram apyrexiam in intermittentibus, ubi nulli ſudores calorem ſequerentur. Si vero de omnibus paroxyſmis febris intermittentis ſimul agitur, tunc ejus febris incrementum adeſſe dicitur, quamdiu paroxyſmus duratione & numero, & vehementia ſymptomatum proxime præcedentem excedit *h*); declinatio vero, ubi poſt conſpicua coctionis ſigna morbi vis remittit. Utraque hæc intermittentis febris conſideratio ſolemni in uſu erat apud veteres.

a) *Ettmüller* Opera.
b) Acta med. Hafn. Vol. III, obſ. 38.
c) *Medicus* Sammlung von Beobachtungen l. c. §. 27.
d) Lib. VI.
e) *Van Swieten* Comment. ab aph. 749.
f) — — ad aph. 750.
g) Von den Fiebern.
h) *Van Swieten* Comment. ad aph. 749.

FEBRIS INTERMITTENS ERRATICA.

Febris intermittens erratica frequenter in pueris obſervatur, quibus viſcera abdominis obſtructa, atque pituita repleti, atrophici evadunt; atque tunc etiam, cum febris intermittens epidemica in verminoſos incidit, erratico more it reditque. Contingit id præcipue a victu craſſo, e. g. pultibus, nimiaque copia ingeſto. Frequentiſſime febres autumni tempore obſervantur. Sed & regularis quoque & aperta intermittens, non raro in erraticam abit; quod cum fit, triplex plerumque vitium ſubeſt, ſcilicet

1) Vitium aliquod inflammatorium corporis, regimine calido, medicamentis calidis, in febribus præcipue intermittentibua vernis, ſtante jam phlogiſtica diatheſi, exhibitis.

2)

2) Viſcerum abdominalium obſtructio, vi febris, ſibi relictæ, neglectæque; aut ob febrem præmaturo corticis peruviani uſu, aut adſtringentibus remediis ſuppreſſa.

3) Quandoque peculiaris eſt ægrorum irritabilitas, quæ legitimum febris intermittentis decurſum ad vagos circuitus deflectit.

Signa, ex quibus vagam talem febriculam cognoſcimus, partim ex cauſſis prægreſſis, partim ex illis characteribus, qui læſum præcipue ſyſtema gaſtricum ſignificant, optime colliguntur.

DIAGNOSIS FEBRIUM INTERMITTENTIUM.

Diagnoſis intermittentium febrium circa duo potiſſimum verſatur *a*), quorum primum eſt, ut illæ a cujusvis alius generis febre dignoſcantur: alterum vero ad typorum diſcrimina pertinet. Utraque porro hæc cognitio duplici rurſum ratione obtineri poteſt, nimirum vel ex ipſo febrilis invaſionis principio, vel vero ex apyrexia aut ſuccedente febri, aut emanente. Poſterior hæc methodus eſt ut vulgatiſſima, ita & certiſſima; nam ubi poſt primam invaſionem febrilem ſe-

ſecuta eſt aliqua apyrexia, quam rurſus febrilis acceſſio aliquo tempore poſt excepit, dubium haud ſupereſt, quin febris ſit intermittens, nec continua aut ephemera: & quoniam temporis intervallum a principio acceſſionis primæ ad ſecundæ acceſſionis principium eſt pariter cognitum, hoc ipſo etiam, cujusnam typi ſit præſens hæc febris intermittens, innoteſcit, niſi febris complicata ſit, id quod raro mox initio morbi accidit, aut continuam protractis nimium paroxysmis mentiatur: tunc enim in utroque caſu ſolerter attendendum eſt. 1) ad epidemiæ genium 2) ad urinas, utrum non lateritiæ ſint, licet hæ non ſemper adſint. 3) ad exacerbationes, utrum ſtato quodam ordine contingant, & an quandam habeant inter ſe ſimilitudinem. 4) ad ea, quæ primo ſtatim invaſionis tempore, præſertim in frigore acciderunt. Vulgarem vero hanc intermittentes inter ſe mutuo ratione typi, & a continuis febribus dignoſcendi e binis primis acceſſionibus, cum apyrexia iisdem intermedia, methodum haud magni fecerunt veteres, tum ideo forte, quod apyrexia non raro ſit nulla, tametſi febris indole ſua ſit e genere intermittentium, tum præſertim, quod ex apyrexia non medicis tan-

tum,

tum, ſed vetulis quoque pronum ſit morbi condere diagnoſin.

a) *Cel. Trnka* l. c. p. 205.

Etſi autem ſymptomatum diſcrimina, quæ primo mox invaſionis tempore intermittentem febrem a quavis alia, vel diaria, vel alia continua vera ſecernunt, tum ab Antiquis, Galeno præcipue, tum vero a recentioribus fuerint expoſita, recte tamen monet *cel. Trnka,* omnia hæc criteria haud ſufficere ad prædictionem, e principio morbi hujusmodi faciendam, utrum futura ſit febris ephemera, vel intermittens. Nam & intermittens e levi manifeſtaque cauſſa, v. g. animi affectu oritur, & ephemera a graviore minusque evidenti, e. g. a bile accumulata. Porro tertianæ vernæ adeo ſunt ſæpe mites, ut ephemeræ ſint quam ſimillimæ, & paucis horis poſt perfecta iisdem ſuccedat apyrexia. Nec abſens epidemia rem conficit, cum ſporadice poſſit intermittens generari. Quapropter tutiſſimum erit, vulgatam illam diagnoſin huic, ut infidæ, præferre; ne medicus falſo prædicens, & ſuo & artis honori detrahat. Iisdem difficultatibus etiam ob ſymptomatum inconſtantiam, intermittentium diſcrimen a febribus continuis premitur.

At neque tunc typus futurus intermittentis e prima ſtatim illius acceſſione, ſecundum *Galeni* doctrinam, determinari poteſt. Quam ob rem is ſequentia conſideranda præcipit. 1) ægri nempe temperiem, 2) uſum ſex rerum naturalium non prægreſſum, 3) anni tempus, & 4) acceſſionis febrilis phœnomena. Priora tria ita ſe habere in primis tribus intermittentibus typis docet; ut *quotidiana* potiſſimum anni tempore humido, ac præſertim hiberno, in locis humidis graſſetur, homines corripiat eos vel maxime, qui pituitoſi craſſique ſunt, otio, balneis, crapulisque dediti; item pueros tenellos. Juvenes enim billoſæ ſiccæque temperiei hac febre correptos ſe nunquam vidiſſe ait. Veritatem horum omnium obſervationibus a ſe factis confirmavit *Foreſtus.*

Tertiana vero corripi aſſerit præprimis corpora juvenilia, bilioſa, calida, exercitata, poſt defatigationes, vigilias, inediam, ſtudia, mœrorem; tempore anni calido & ſicco, qualis æſtas eſt, locisque ſiccis & calidis, cum prægreſſo his victu ſimili.

Quartana denique, ipſo notante, plerumque tempora anni frigida & ſicca, & viciſſitudinibus obnoxia obtinet, qualis utplurimum eſt autumnus, uti & loca hisce tem-

po-

ribus affinia, quartanis faventia: corpora vero atrabilioſa, ætatis majoris, poſt victum atræ bili generandæ aptum, vel febres erraticas prægreſſas. Ad epidemiam vero ſemper ſimul reſpiciendum eſſe monet.

Typorum criteria, quæ ab ipſis acceſſionum phœnomenis ſolent deſumi, hæc ferme ſunt:

Quotidianæ veſperi, aut noctu potiſſimum invadunt. Frigus tenue, ſeu absque rigore. Calor mitis, at diuturnus. Sudor in primis acceſſionibus nullus, ſed in conſequentibus primum apparens. Pulſus principio acceſſionis, teſte *Galeno*, inæqualis rythmo & tempore, debilis, parvus, ac rarus, ita ut parvitate pulſum quartanæ, raritate autem tertianæ ſuperet pulſum. Sitis vel nulla, vel non intenſa, ſumma in ſomnum proclivitas, cardialgia, præcordiorum inflatio, facies ſublivida, flaccida, pallida, paſtacea, etiam in ipſo paroxysmi vigore, excretiones in hac febre paucæ, eæque pituitoſæ. Duratio acceſſionis ceteris paribus longior, quam in exquiſita vel tertiana, vel quartana, ita, ut ad octodecim horas extendatur, ſi exquiſita eſt; notha vero diuturnior etiam. Apyrexia perfecta vix unquam adeſt, neque intermiſſionis tempus eſt adeo, ut in tertiana ſin-

ſincerum, ſed humoris putrefacti ſervat indicium. Attamen cum exquiſite ſuam naturam ſervaverit, plerisque videtur ſuam intermiſſionem habere. Rationem vero imperfectæ hujus apyrexiæ, ſudoris in hac febre defectui tribuit *Galenus*, quod cum obſervatione *Grantii* congruit.

Tertiana exquiſita antemeridianum invaſionis tempus habet. Frigus cum valido rigore, in prima mox acceſſione pungens, quo ipſo tertianam a quartana illico dignoſci ait *Galenus*. Calor ardens, ſiccus, æqualis toto corpore. Sudor vaporoſus ac calidus, quemadmodum in balneis; totum vero ipſis corpus æqualiter ſudat. Pulſus principio acceſſionis parvus, debilis, tardus, rarus; minus tamen, quam quartanæ. In calore tamen magnus, celer, frequens, vehemens; in ſudore fere idem; tota autem acceſſione æquabilis, & cum febre in ſanum deſinens. Sitis ingens. Excretiones bilioſæ. Duratio non ultra duodecim horas.

In *Quartana* exquiſita invaſionis tempus a meridie hora 3, 4, 5. Frigus ingens, dolorificum, cum laſſitudine, & dedolationis, ſeu contuſionis ſenſu ad oſſa usque penetrante. Rigor vero in prima acceſſione vel nullus eſt, vel exiguus; at in ſubſequentibus acceſſio-

ſionibus increſcit; cum tanta totius corporis concuſſione, ut *Swietenius* in quartanario ſene dentes cecidiſſe viderit, quamvis ante morbum ſatis firmi viderentur. Calor non adeo vehemens, ut in tertiana, major tamen, quam in quotidiana. Sudor nihil peculiare habet. Pulſus quartanæ parvi, debiles, & tardi, & rari adeo. Excretiones copioſiores, quam in quotidiana, vomitus pituitoſi, urinæ tenues, aquoſæ, albæ. Duratione vel exæquant, vel ſuperant exquiſitam tertianam. Apyrexia jam perfecta, jam minus ſincera, e pulſu noſcitur.

At de his etiam criteriis, quas ab ipſis acceſſionum modis colligimus, tum de reliquis etiam tribus diagnoſeos fontibus, monet *cel. Trnka a*): „ Veriſſima quidem hæc ſunt: ſed tamen innumeris exceptionibus, præſertim in variis orbis noſtri regionibus, ſubjecta v. g. exquiſita tertiana in ægra pituitoſa *Foreſti b*), typi unius in aliam degeneratio in eadem corporis ægroti temperie, ut quartanæ in quotidianam *c*), ejusdem alias primum in tertianam, dein in quotidianam *d*), hujus viciſſim in quartanam *e*); ſexcentaque alia. Idcirco caute his artificiis medico utendum eſſe, non abs re monuerunt *Swietenius f*), *Hænrius g*) aliique noſtri ævi

clinici, ne ars pulcherrima medica ludibrio exponatur.

a) l. c. p. 214.
b) L. III. obſ. 6.
c) Eph. N. C. Dec. II. Anno 9. obſ. 8.
d) *Madai* Abhandlung von Wechſelfiebern.
e) Nov. Act. phyſ. med. Nat. cur. Tom. II. Obſ. 19. p. 64.
f) l. c. ad aph. 746.
g) Ratio medendi P. IV. C. I. §. 4.

TRANSITUS FEBRIUM INTERMITTENTIUM IN MORBOS ACUTOS.

Obſervata docent, febres intermittentes non raro in febres acutas tranſire, quod non unam ob cauſſam contingit. In homine plethorico, accedente æſtu febrili intermittentibus ſolemni, facilis tranſitus in acutam continuam. Intermittentes vernæ in continuas inflammatorias, autumnales in putridas atque pituitoſas febres ſubinde mutantur, quod a tempeſtatum mutatione maxime pendet. Sed methodus etiam medendi perverſa ægrum ſæpe in acutum morbum præcipitat; cujus rei luculentum exemplum *cel. Geſnerus* profert *a*) „Juvenis vir aliquot acceſſiones tertianæ perpeſſus, ad iter ſe comparat, meamque id-

cir-

circo expoſcit opem, ea lege, ut ſex dierum intervallo a febre liberetur. Graviſſima in contrarium adducta rationum momenta, terrentesque prognoſes, ipſum a propoſito non dimoverunt. Conceptis juravit verbis, facturum ſe, ut febris cujuscunque deinum opera abigatur, ſi ego meum ſibi officium negavero. Meam in curam idcirco hominem inſolentem aſſumo, indicto illi prius e præmatura febris ſuppreſſione periculo; remediaque corpus ad criſin diſponentia, exhibeo; usque dum duæ acceſſiones præteriiſſent, quarum criſin ope tepidi potus perfectiorem reddere quæſivi. Tametſi robuſtus, ac juvenis fuerit æger, pletoricus tamen haud eſſe videbatur, & longa inappetentia, evacuationesque febriles ſuſpicionem de ſignorum, vacuitatem vaſorum prodentium, falſitate ademerunt. Quamobrem corticem peruvianum, cum ſale junctum, ægro porrigo; & paroxysmos inſequens fuit vehementior. Æger, dum illum inviſerem, indigne rem ferens, petitionem ſuam ingeminat. Præbeo largiores doſes, & febris ceſſit. At ægrum reperi animo abjecto, lanquidum, & die tertia poſt pleuritide laborantem, quæ antegreſſa nocte vehementi cum horrore, animi defectionibus, ſubſultibus tendinum, ac deli-

riis incepit: in præſenti vero calor ingens, fortis, ac durus pulſus, oculi fixi, cum rigore palloreque corporis, dumque ſitum erectum ſuſtinere vellet, contiuuo in altum ſoporem labebatur. Nihil tamen minus novus hic morbus, cito tutoque methodo medendi pleuritidi conſueta, eſt depulſa.

a) *Jt A. Ph. Gesner* Sammlungen von Beobachtungen aus der Arzney, 3. B. p. 223.

Quartanæ in peripneumoniam abeuntis exemplum, *Stollius* adducit. *a)* „ Vir 36 annorum, ſæpius per vitam intermittentibus febribus vexatus, æſtate hac lapſa, (ann. 1776) tertiana laboravit, unde ſanatus, hucusque commode ſe habuit. Ante quatuor tandem ſeptimanas quartana febre iterum corripitur. Die 15mo Octobris paroxysmus febrilis emanſit; at continuo inde pectoris oppreſſio, tuſſis frequens, cephalalgia aſſidua, lecto decumbere coactus.

17ma acceſſit noſocomium. Omnia pejora; 18ma noctu ſuffocationis periculum; 19ma mane venæ ſectio. Levamen. Cruſta phlogiſtica. Pulſus plenus, fortis & naturalis ferme celeritas. Remedia antiphlogiſtica.

Die

Die 20. Octobr. cum decoctum ſuum frigide aſſumpſiſſet, denuo tuſſitare, pectore oppreſſo eſſe, & pulſus celeriores, durioresque habere cœpit. Hinc omnia tepide data unt, & vena ſecta eſt.

21ma bene ſe habet. Rediit quartana, denuo cortice, & ſale ammoniaco profligata. Sanus 31. Octobr.

a) *Stoll* Ratio medendi P. V. 400.

EFFECTUS FEBRIUM INTERMITTENTIUM.

Febris intermittens, ſi aut vehemens, aut diuturna ſit, qualis eſt præſertim quartana autumnalis, vix corpus unquam illæſum ſinit, quin ejus cum ſolida, tum fluida notabiliter mutet, unde varia poſtea mala nova oriuntur, quæ in præſenti ſumus conſideraturi. Ut autem res planior evadat, bifariam omnem illius doctrinam partior, ait *celeber. Trnka* a), ita, ut primo generales febris intermittentis effectus, quos partim in ſolidis, partim in fluidis exſerit, ſim in medium allaturus; ſecundo vero functionum læſiones, quæ a dicta hæc ſolidorum fluidorumque mutatione ſequuntur, ſubjungam.

a) l. c. p. 215.

Sunt autem febris intermittentis aut diuturnæ effectus, *generales*, aut *particulares*.

I. *Generales*.

A *Solidorum laxitas ac debilitas*, ex repetito febrili calore, & frigore oriundæ. Si enim primum, quid frigus, cum huic ſuperveniens calor in corpore animali præſtet, e quotidianis atque obviis in vita phœnomenis arguamus, laxari debilitarique debere ejus ſolida, facile apparebit. Etenim in rigido hyemis frigore diutius conſtitutus, adeo riget, ut nec absque moleſtia loqui, nec digitis quidquam apte prehendere queat; quod idem in ægro, frigus validum intermittentis febris perpetiente apparet. In hoc ergo ſtatu ſolidarum partium, ad ſe mutuo cohæſio efficitur plurimum aucta, eſtque idem hic ſtatus corporis animalis conditioni ſanæ violentus; a quo ad priſtinum naturalem ut redeant ſolida, nova vi opus eſt, eaque tanto majore, quanto ſtatus ille a ſanitate plus abeſt. Dum vero febrili frigori ſuccedit calor, ipſe hic violentam illam cohœſionem partium ſolidarum imminuit, non tantum ad ſanitatis gradum eundem reducendo, ſed ultra etiam minuendo; unde nova ſolidis vis infertur, eoque tanto major, quanto ipſe calor calorem naturalem exceſſerit. Quantopere autem

ca-

calor humidus rigidiſſima quæque corpora mollire, laxareque poſſit, phœnomena plurima docent. Panis duriſſimus, calido foco tempore aliquo repoſitus, ita molleſcit, ut qui ſecuri vix pervius erat, leni jam dentium obſequatur morſui, quod artificium pauperes optime norunt. Caro animalium, hyemis tempore frigori per aliquot dies expoſita, ut obrigeſcat, coctione dein tenerrima fit. Quid aliud igitur a tot alternis febrilis frigoris caloriſque conditionibus in ſolidis noſtris exſpectare oportet, quam elaſticorum vaſorum, corpus humanum conſtituentium laxitatem inſignem ac debilitatem. „ Durum enim lignum ſæpius flectendo & remittendo frangitur, & elateres fortiſſimi hoc modo omnem vim ſuam amittunt. *a*) "

a) *Van Swieten* Coment. ad aph. 758.

B. *Fluidorum.*

a) *Spiſſitudo*, quam efficiunt 1) frigus febrile, omne enim frigus febrile ſanguinem coagulat; 2) immeabilitas humorum per extrema arteriarum. Dum enim frigore contracta vaſa rigent, proportio diametri canalis, moleculam transmiſſuri, minuitur, eam proinde vas non transmittit. Accedit, quod ipſa molecula, a frigore coagulata, minus

 diſ-

diſſiliat. Hinc trans vaſorum anguſtias liquidiſſima tunc tantum ſanguinis pars transjicitur, craſſioribus poſt ſe relictis. 3) Stagnatio ſanguinis, qui per anguſtias vaſorum tranſire nequit, accumulati in majoribus vaſis; quiete enim ſuccedit ſanguis in partem craſſam ac tenuem, hacque in minima vaſa trajecta, illa ſemper ſpiſſatur magis. 4) Calor febrilis tenuiora diſſipans, reliquumque valida tunc actione vaſorum plus compingens. 5) Sudor largus liquidumque aquoſum ſanguinis e corpore evehens, craſſioribus principiis intus relictis.

b) *Tenuitas*. Plus enim ſemper increſcit ſolidorum laxitas ac debilitas, quo plures paroxysmi ſunt prægreſſi. Unde ſanguinis coagulum, principio generatum, minus a vaſis movetur, utpote debilibus. Sibi proinde relictum liqueſcit ſenſim, idque non ad priſtinam tantum fluiditatem usque, ſed infra illam i. e. ad morboſam usque tenuitatem; quandoquidem ſolidorum robur usque eo defecit, ut liqueſcentem continuo ſanguinem compingere debite nequeant.

c) *Acrimonia*, quam producunt 1) ingeſtorum aſſimilatio, & æquabilis chyli cum ſangine miſcela impedita, tum ob ſolida debilia, tum ob humores paucos ac degeneres;

2)

2) Sal & oleum per calorem febrilem e ſanguine evoluta, acrioraque reddita, quæ 3) chylum, ob acres affuſos ingeſtis humores, perpetuo reddunt minus blandum, quo fit, ut is multum de ingeſtorum natura retinens, acrimoniam ſanguinis continuo adaugeat; 4) appetitus languens, aut nullus; unde ob defectum chyli, humoris demulcentis, iſti ſemper evadunt acriores.

Speciales effectus, qui in functionibus læſis conſiſtunt, generaliumque tantum ſunt conſectaria, etſi a *cel. Trnka* in præclaro de febribus intermittentibus opere, mox poſt recenſitos generales effectus enumerentur, in his tamen commentariis tunc, cum de morbis intermittentium *poſthumis* agetur, peculiarem attentionem ſibi poſcunt.

EXTISPICIA.

Cognitis iis effectibus, quos intermittens febris in corpus humanum exſerit; eas quoque mutationes, quas febrium harum diuturnitas ac vehementia corpori inducit, poſt obitum ſolertia Anatomicorum detectas, facile perſpicimus.

Multos ex febribus intermittentibus diu durantibus, neglectis, perverſa methodo curatis demortuos diſſecuit *Grant*, atque hæc ſequentia potiſſimum vitia detexit. *a*) Venæ cerebri ſanguine turgentes; ventriculi cerebri aquoſo humore repleti. In quibusdam hydrothorax, in omnibus autem cor, atque majora ei adnexa vaſa valde expanſa, imo in quibusdam vaſis polypoſæ concretiones. Ventriculus atque inteſtina multo aëre diſtenta, in quibusdam cadaveribus maculis gangrænoſis fœdata; ceterum ſerum ſemper flaveſcens in abdomine. Hepar prægrande, pallidi coloris, vena autem portarum, ejusque rami atro ſanguine repleti. Lien quoque magnitudine excedens, atque purpureis ubique maculis notatum. Veſicula etiam fellea, & ductus choledochus anguſtior, contortus, ac ſpadice contractus. Pedum Oëdema, glandulæ meſenterii duræ, ac tumeſcentes; iis diſſectis aqua flaveſcens affluxerat. Pancreas quoque ſubinde morboſe affectum. Totum corpus pinguedine ſuo orbatum.

CAUS-

CAUSSÆ FEBRIUM INTERMITTENTIUM.

Cauſſa prædiſponens.

Præter cauſſas excitantes, quarum actione in corpus humanum febris intermittens oritur, determinatam etiam corporis ad intermittentes febres contrahendas aptitudinem requiri, multis utique argumentis perſuademur. Nam 1) eædem ſex res non naturales, a quibus intermittens oriri ſolet, non hancce ſolum, ſed aliam, quamvis etiam febrim excitare obſervantur; quin morbos etiam non febriles; 2) eadem regnante quam latiſſime Epidemia intermittentium, non omnes homines in febrim intermittentem incidunt, atqui ii etiam, qui ex hac febre ægrotant, alia alius typi, nec ejusdem omnes febrem patiuntur; 3) recidivæ nec eodem momento, nec die, quo vitium in ſex rerum non naturalium uſu commiſſum eſt, ſemper contingunt, ſed iis plerumque diebus, in quos paroxysmi incidiſſent, ſi prægreſſa febris ad illud usque tempus perduraſſet, niſi forte typum mutet. Porro dum bini ægri, quorum unus olim tertiana, alter quartana laborabat, in præſenti ab eadem cauſſa v. g. carne

ne ſuilla commeſta, recidivam patiuntur, prior eorum in tertianam, poſterior in quartanam ſuam priſtinam relabitur, Cur ab eadem cauſſa non idem typus? 4) Sæpe numero prima morbi cauſſa ceſſat prius, quam ipſe generetur (v. g. animi affectus vehemens, unde intermittens oriri viſa eſt, prius plerumque conſopitus fuit, quam febris invaderet) vel febre jam præſente tollitur ex toto, quin tamen illa vel mitior evadat. Quodſi ergo ſublata ejusmodi cauſſa, febris nihilominus perſtet, hujus illa ex toto ratio ſufficiens eſſe nequit. Revocatus pedum ſudor in matrona quadam, non continuo febrem tertianam profligavit; 5) nulla alioquin ratio ſuppeteret, cur loca telluris nonnulla, intermittentes ignorent, licet ibidem reliquarum febrium e ſex rebus non naturalibus oriundarum deſideretur nulla.

At plurimum hucusque a medicis diſputatum eſt, ubinam partium hæc diſpoſitio, an in humoribus, ſolidisve potius corporis humani partibus, ac præcipue in ſolido vivo, id eſt, nervis, repoſita ſit; dein, utrum periodorum ratio in ſola proëgumena cauſſa, vel hujus cum procatarctica concurſu quærenda ſit; atque tandem, quænam ſit cauſſæ proëgumenæ in quavis intermittentis ſpecie,

di-

diverſitas? Tot utique ænigmata, exclamat *cel. Trnka a*), quot quæſtiones!

a) l. c. p. 134.

Hanc autem diſpoſitionem in nervis potiſſimum reſidere, ſequentibus argumentis probabili conjectura deducitur.

1) Remedia, quæ maxime febrifuga ſalutamus, in nervis potiſſimum vim ſuam exercent, aut enim tonum eorum augent, aut illarum turbas pacant. Hac certe cortex peruvianus, ferrum, & opium virtute gaudent. Contra vero omnia, quæ debilitant, irritant, turbant, febrim facillime reducunt, etſi quandoquidem jam ſatis diu ſopitam. *a*)

a) *Van Swieten* Comment. ad aph. 757.

2) Animi pathemata, præſertim quæ horrorem, vel bilis commotionem cauſſant, ut terror, ira &c. non raro intermittentem producunt. *Swietenius a*) vidit ſaniſſimam virginem, dum glire conſpecto terrebatur, illico primum paroxysmum habuiſſe quartanæ, quæ dein tota hyeme manſit. Et *Tralles b*) prandium, inquit, ceperat cum amicis in horto ſub umbra arboris, frondes longe lateque extendentis; fœmina ſenſibilioris animi, dum cultro carnis aſſæ fruſtulum dividere

vult,

vult, diſcindit, quæ foliis ex al'o forte ceciderat, horridam aſpectu erucam. Quamquam vero de hoc inſperato ferculo nil degustaſſet, tamen adeo terrore & averſatione ejus commovebatur, ut altera die gravi paroxysmo febrili corriperetur; poſt unam intercalarem redeunte.

a) *Swieten* l. c. ad aph. 755.
b) De uſu opii Sect. II. C. 2. §. 4.

3) Sed ſingularis etiam animi vis eſt, in febre intermittente enervanda profligandaque, cujus rei exempla poſtea recenſebimus.

4) Prima ingruentis paroxysmi phœnomena docent, aliquid in ſyſtemate nerveo mutatum eſſe. Mobiliſſimis in genere nervoſo infantibus convulſiones toties adſunt, & vidit *Swietenius a*) ingenii acumen auctum in ſingulis paroxysmis febris intermittentis. *Joſ. Lanzonus b*) meminit mercatoris Ferrarienſis, intermittente erratica laborantis, qui in acceſſione qualibet auditu privabatur; eundemque decedente febre rurſum recuperabat. Larvatæ febres non paucæ in unica ſæpe ſyſtematis nervoſi læſione e. c. paralyſi, epilepſia &c. conſiſtunt *c*), vel hanc ſibi haud raro adjunctam habent intermittentes manifeſtæ.

a)

a) l. c. ad aph. 560.
e) Act. N. C. Vol. I. obſ. 32. p. 83.
b) l. c. ad aph. 757.

5) Hyſterica paſſio maximam cum intermittentibus habet analogiam; ambarum enim exacerbationes eodem modo ſe habent, ab horripilatione inchoant, in calorem tranſeunt, ſudoreque finiuntur, & per ſingula hæcce ſtadia urinas adeo ſimiles videmus, ut ovo ovum ſimile magis non ſit. Cauſſas quoque procatarcticas easque utrinque eſſe, non eſt, ut multis dicam. Quid vero ſeu iuvantium, ſeu nocentium in uno horum morborum reperies, quod non per omnia idem ſit in altero? evacuationes parvæ, procatarcticam tollentes cauſſam proſunt, nocent magnæ. Nervina contra, ut opium, cortex peruvianus, mars, omnem abſolvunt paginam. Sed longe manifeſtius morbi utriusque analogia in larvatis morbis apparet. Paſſio hyſterica, obſervante *Sydenhamo a*) ſub larva apoplexiæ, epilepſiæ, choleræ, cardialgiæ &c. quandoque ægros affligit, quod idem de intermittentibus verum eſt. Cum igitur duo hi morbi in omnibus (præter reverſionum tempora) conveniant, tunc, quoniam proëgumena paſſionis hyſtericæ cauſſa in ſyſtemate nervoſo ſita eſt, eandem pro intermittente febre haud alibi quæren-

rendam eſſe conſequitur. Accedit, quod mulieres hyſtericæ, obſervante *Senac. b*) epidemicis minus ſint obnoxiæ, & ſi ipſas iis corripi contigerit, toto febris tempore ab hyſterico malo ſint immunes; nonne, quia ſyſtemati nervoſo nova inducta eſt affectio priorem impediens, quemadmodum in aliis nervorum morbis?

a) Op. Sect. IV. C. 7. §. 15. & Diſſ. epiſt. ad *Core* &c.
b) l. c. L. I. C. 4. §. 7.

6) Imo morbi peſſimi ſyſtematis nervoſi, ut epilepſia, paralyſis &c. a ſuperveniente febri intermittente plerumque radicitus exſtirpantur. Pathemata hypochondriaca adoleſcentes, ac juvenes diu exagitantia, nec ulla medica ope expugnabilia, ſuperveniente quartana, vel tertiana evanuiſſe, novit *Hoffmannus a*) *Werlhof b*) ægrum, intermittente, in ſoporem apoplecticum vergente, laborantem, ab eadem vindicavit, cum qua ſimul ſiniſtri hypochondrii dolor & palpitatio cordis, a pluribus retro annis homini moleſta, ex toto deſiere. Senem ſex & ſexaginta natum annos ope tertianæ ab hemiplegia convaluiſſe, narrat *Eller. c*) *De la Hire d*) notiſſimus mathematicus Gallus, cordis palpitationibus diu multumque vexatus, quartanæ

fu-

ſuperveniente ab iisdem liberatus eſt, ita ut ſanus poſtea octavum ſupra ſeptuageſimum ætatis annum attigerit. *Swietenius e)* cephalæam, quæ per annos afflixerat, per periodos recurrens, ceſſaſſe toto illo tempore, quo quartana tenebatur æger, obſervavit. Quartana præcipue ſolvi; jam *Hippocrates* obſervavit. *f) Lanzoni* narrat *g)* virum illuſtrem novem & quadraginta annos natum, poſt animi angores, matrimoniumque initum, per tres menſes omni hebdomade inſultu epileptico prehendi ſolitum; tandem poſt omnia fruſtra tentata; quartana autumnali correptum, ab epilepſia perfecte liberatum fuiſſe. Et *Paullini h)*, puella, inquit, ruſtica, in quintum usque menſem a quartana male cruciata; in menſium ſuppreſſionem incidit, quam tertio die ſequuntur convulſiones epilepticæ, ſingulis poſtea diebus circa veſperam plerumque repetitæ, febre autem penitus ceſſante. Subſequitur tandem quotidiana (ni triplex quartana fuerit) quæ denuo omnem ſuſtulit convulſionem; puella adhuc valente. Atque in hoc potiſſimum celebrata febrium intermittentium ſalubritas mihi videtur conſiſtere, ut non ſolummodo reſiduas ab illis morbis obſtructiones reſerent, humorumque lentores ſolvant;

ſed aliam continuo nervis mutationem inducant, id eſt, *alterando* in corpus agant.

a) Med. rat. ſyſt. Tom. III. 2. C. 1. §. 25.
b) l. c Sect. IV. §. 3.
c) Med. und. Chir. Anmerk. p. 15. 18.
d) Act. Sc. Paris. anno 1718. hiſt. p. 110.
e) l c. ad aph. 754.
f) Eph. N. C. Dec. III. anno 3. Obſ. 30. p. 34.
g) Ibidem Dec. II. anno 5. app. p. 20. Obſ. 29.

At alia, eaque plurimum intricata quæſtio, an & qualis ſtimulus, poſita hac ad intermittentes febres diſpoſitione, debeat accedere, ut tandem erumpat, ac certis periodis redeat febris intermittentis paroxysmus. Multa enim ſunt, quæ materialem ejusmodi ſtimulum adeſſe debere ſuadent. Variæ ſcilicet intermittentium criſes; cauſſæ morbi materiales, quæ quamdiu ſublatæ non ſunt, febrem fovent, ut primum vero tolluntur, ſimul febris non raro decedit; morbi e præmature ſuppreſſa febre v. g. hydrops, obſtructiones &c. nondum licet ſenſibiliter mutatis ſolidis per febrem, vel fluidis; affinitas intermittentium cum morbis aliis periodicis, a fomite materiali per circuitus renato; oriundis, ut eſt podagra, epilepſia &c.

Indolem hujus ſtimuli quod attinet, va-
pathologi ſtatuerunt. Nuper celeberrimus Univerſitatis Hafnienſis Profeſſor *Bang* ſtimulum hunc febris intermittentis, magna certe cum probabilitate, ab ipſa bile derivat, atque ita differit:

Eſſentiale febris irritamentum debet eſſe conſtans, id eſt, ad quemlibet paroxysmum, primo forſan excepto, producendo concurrens; pro hoc irritamento maxima probabilitate ſtatuitur bilis vel corrupta, vel naturalis, tamen ſub notabili diſpoſitione febrili ſufficiens, quæ ſenſim collecta, & in inteſtinis effuſa, demum efficax redditur ad motum nervorum febrilem excitandum; hanc ſententiam probant:

1) Bilis læſa conditio fere omni intermittenti febri annexa, unde merito concluditur, illius acrimoniam in culpa eſſe.

2) Nexus febris cum obſtructione hepatis ſat frequens, & mutua horum morborum ſucceſſio, ita ſcilicet, ut febre imprimis per adſtringentia intempeſtive adhibita, profligata, oriatur obſtructio, & hac ſanata redeat febris, quod demonſtrat, bilioſum irritamentum ad febrem creandam pertinere, & ad inteſtina effluere debere. *Senac* hanc bilis actionem ut ſolam & ſufficientem inter-

mittentium cauſſam æſtimat. *Swietenius* diſpoſitionem nervorum adeo per ſe efficacem putat; ego utriusque cauſſæ concurſum pro generanda febre neceſſarium ſtatuo.

Declaratio ſymptomatum intermittentis febris ex allata cauſſa ſequenti modo fieri poteſt.

1) Frigoris ſtadium eſt effectus irritationis nervorum per bilem, quæ, etiamſi in primas vias modo agens, non minus tamen valida cenſenda eſt ad motum nervorum univerſalem citandum, quam alii ſimiles ſtimuli, e. g. calculi biliarii, e quo ductum choledochum permeante & irritante, & frigus, & alios vehementes motus produci, ſat certum eſt.

2) Æſtus relaxatis ſub evaneſcente frigore vaſis periphericis, ideoque fortiter per vim cordis prævalentem irruenti, & in vaſis adhuc ſat tenſis, vehementer attrito ſanguini adſcribendus eſt, dein ſub hoc incipiente æſtu bilis e primis viis in ſanguinis maſſam abſorbetur, & novum irritamentum febrili motu præbet, frigore enim conſtricta vaſa nihil, ſub æſtu autem maxime abſorbent.

3) Sudor, ultimum febris ſtadium, producitur partim per plenariam relaxationem peripheriæ vaſorum, partim per ipſos febriles motus, conſpirante vi ſolvente bilis, quibus humores ſolvuntur, attenuantur, & ad vias excretorias permeandas aptantur, ſedimentum urinæ lateritium haud iniuſto bilioſæ materiæ per diureſin ejectæ imputatur.

4) Apyrexia febrium evacuationi irritamenti bilioſi per ſudorem & urinam tribuenda eſt.

5) Reverſio paroxysmi febrilis e renovata in primis viis collectione bilis ad tantam copiam & gradum, ut ad nervos commovendos ſufficiat, derivanda eſt.

6) Typus febris intermittentis diverſus declarari poteſt.

a) Ex irritamenti diverſa indole, ſpiſſitudine vel acrimonia, ob quam brevius vel diuturnius requiritur tempus ad collectionem ejusdem ſufficienter irritantem, indeque brevior vel longior apyrexia intelligitur.

b) E diſpoſitione nervorum varia, minus magisve ſenſibili, quæ ideo minorem majoremve, minus vel magis diuturnam collectionem irritamenti deſiderat, ut per illud commoveri poſſit.

Ortus autem diſpoſitionis ſingularis in corpore ad febrem intermittentem concipiendam juxta *Bangium*, ex humiditate aëris, qua nervi relaxati ad irregulares motus diſponuntur, quæque vix alio modo, quam nervorum tonum immutando febrium adeo fœcunda cauſſa eſſe poteſt, partim e conſuetudine & ſingulari habitu ad motus, quos nervi antea citarunt, reproducendos, & demum ex congenita, vel hæreditaria teneritudine, & mobilitate nervorum, vi cujus certa individua hac febre corripiuntur, alia tamen libera manent.

Hæc eſt *celeberrimi Viri* de irritamento febrium intermittentium ſententia, quam, ſi recte aſſequor, id mihi videtur veroſimillimum, in ſerie cauſſarum morbificarum intermittentes febres producentium, aliam nos debere concipere cauſſam, quaſi *ultimam*, diſpoſitionem nempe illam ſingularem nervorum ſyſtematis, qua poſita proclivitate, febris intermittentis orituræ *poſſibilitas* datur; ut autem illa in actum, ut ſcholaſticorum ſermone utar, deducatur, prima aliqua incitans cauſſa debet accedere (Pathologorum *cauſſa occaſionalis*), quæ *tranſitorio* ſuo ſtimulo primum paroxyſmum febrilem excitat; quorſum omnis in rebus non naturalibus error

per-

pertinet. Verum inter illam *ultimam*, eamque, quæ modo dicta eſt, *primam*, alia requiritur *intermedia*, ex illis primis intercedentibus cauſſis enata, quæ *ſtimuli* vice fungitur, atque ſufficientem periodorum febrilium rationem continet. *a*)

a) *Celeberrimi Bang* Praxis medica ſyſtematice expoſita *Hafniæ* 1789. 8.

CAUSSÆ EXCITANTES FEBRIUM INTERMITTENTIUM.

Cauſſæ excitantes, uti ex præcedentibus patet, innumeræ ferme ſunt, attamen in duas univerſim claſſes poſſunt diſtribui, quarum *prima* univerſales cauſſas, quibus plures homines ſimul afficiuntur, *altera* vero, ſingulares, ſeu ſporadicas cauſſas complectitur, quæ tamen non niſi in connubio cum cauſſa epidemica febrim inducunt.

Vulgaris cauſſa maxima cum probabilitate, in certa atmoſpæræ humiditate conſiſtit. Talis autem aëris conditio, uti animadvertit *cel. Bang*, ortum trahit.

1) E locis paludoſis & aquis ſtagnantibus, ubi febris intermittens, teſtante experientia, endemicus morbus eſt. Simili mo-

do ab humidis habitationibus febres intermittentes, præcipue mali moris invitantur. Ex hac cauſſa milites, qui in noviter exſtructo tugurio degebant, in febrem ſyncopalem inciderunt. *a*) Imo perfecte in Xenodochio convaleſcentes, prima mox nocte a reditu, recidivam paſſi ſunt.

a) *Cas. Medicus* l. c. P. I. p. 296.

2) Ex anni tempore pluvioſam tempeſtatem potiſſimum ſecum ferente; ſic præſertim ver, nec non autumnus huic morbo maxime favet.

3) Ex ipſius aëris ſingulari & epidemica conſtitutione, vi cujus hæ febres uno præ alio anno populares redduntur.

Perſonales, & ſporadicæ cauſſæ ſequentes potiſſimum ſunt:

1) Alimenta corruptibilia, & pravæ indolis, uti carnes pingues, imprimis lardum, piſces pingues, ut ſalmo, præſertim, dum mox poſt talia ingeſta cereviſia, vel potus aquoſus bibitur.

2) Impuritates primarum viarum lentius vel per diætæ vitia, vel ob debilem concoctionem generatæ; huc etiam pertinet colluvies humorum pravorum in primis viis, præſertim vero bilis vel copia, vel perver-

ſa

ſa indole, vel utroque peccantis. A bile perniciosæ febres, quas *cel. Medicus* deſcripſit, potiſſimum ortæ ſunt.

3) Cachexiæ variæ, ut ſcorbutus, venerea labes. &c. *cel. Bang* a retropulſa ſcabie intermittentem febrem obſervavit. *a*)

a) l. c. P. 36.

4) Tranſpiratio ſuppreſſa frequentiſſima intermittentium cauſſa eſt. Ex hac origine plurimi homines pernicioſa intermittente corripiebantur. *a*)

a) *Cas. Medicus* l. c. P. I. p. 301.

5) Ab animi affectibus febres intermittentes fuiſſe excitatas, ſupra enarravimus; quatenus ſcilicet ſyſtema hepaticum inde turbatur.

Hinc tot in *Hungaria* intermittentes: 1) habitationes depreſſæ, adeoque humidæ: 2) cubandi ſub diu conſuetudo, aut ſomnus corpore male tecto captus; 3) perfrigeratio frequentior; 4) repletio.

6) His cauſſis ſingularibus addit *cel. Bang* diſpoſitionem ſingularem ad febrem intermittentem concipiendam, quam ex hoc morbo antea habito contrahi, indubitata probat experientia.

An contagium febris intermittentis ullum ſit, dubitat *Stollius.* Certe vereor, ne medici, qui epidemias intermittentium *contagioſarum* ſeſe obſervaſſe affirmant, ſe ipſos graviter deceperint. Morbis enim epidemicis, late graſſantibus, vel leviſſima cauſſa accedens, eundem morbum, univerſim, quidquid *debilitat*, in corporibus a generali conſtitutione immutatis, regnantem morbum attrahit, ut adeo facile ſit vitium *Epidemicum* pro contagioſo habere.

METHODUS MEDENDI IN FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

Cura in paroxyſmo.

Duplex in curandis febribus intermittentibus medendi methodus obtinet, alia *palliativa*, quæ, cum non ſit in medici poteſtate, ut febrim ſub ipſo exordio, jugulet, ſingulis paroxysmis proſpicit; altera *theraneutica*, extra paroxysmos adhibenda, ut cauſſas morbi, id eſt ipſum morbum, tollamus.

I. *Frigus* febrile efficit 1) vaſorum ſpaſticam conſtrictionem, 2) ſanguinis coagulum: unde omnia reliqua profluunt, ſcilicet ſanguinis

a

a peripheria corporis ad præcordia confluxus major, ejusque per contractorum vaſorum anguſtias immeabilitas; hinc anxietas, pulſus inæqualis, & quæ alia inde naſcuntur. In iſto igitur ſtadio indicationes obveniunt 1) laxandi ſolida ſpaſtice arctata, 2) reſolvendi coagulum ſanguinis, ulterioremque ejus geneſin impediendi. Sublatis enim hisce binis, cætera quoque inde oriunda ſuperantur. Proinde indicata in hoc ſtadio erunt nil niſi potus diluentes, aquoſi, tepidi, cum incidentibus ſalinis reſolventibusque ſaponaceis vegetabilibus miſti, e. g. infuſa florum ſambuci, meliſſæ, chamomillæ, fol. malvæ &c.

Varii in frigore ſuadent varia. Sunt clari viri, qui vetant omnem frigore durante potum, quod inde anxietas, inquies major, diuturnitasque efficiatur; ſed perperam, ſiquidem potus neceſſitatem ſolidorum fluidorumque tum conditio abunde docet; modo ne potulenta aſſumpta frigida ſint, aut copioſa ſimul ac ſemel. Tunc enim ventriculus non nimis repletus diaphragmatis deſcenſum haud impediet; ac proinde anxietates majores inde oriri neutiquam poterunt. Vel maxime autem a frigido ſibi potu moderetur æger in hoc ſtadio, ut qui coagulum ſanguinis magnopere auget; unde non raro hypo-

chon-

chondriorum obſtructiones ac tumores duri generantur. *D. I. de Gilgenberg* Domino *Trnka* affirmaverat, omnes, qui id genus, tumores a febre intermittente relictos, circumferebant, ubi ex iis quæſiviſſet, num frigidum potum in frigore febrili hauſerint, continuo faſſos eſſe, frigide ſe tum bibiſſe; unde ſuos ægros prævie ſemper monere conſuevit, ut ab hoc ſibi errore caverent: neminemque, qui morem geſſerit, viſum a ſe fuiſſe, qui tumore illo laboraſſet. *a*)

Lindius ſummopere laudat hauſtum ex unciis duabus aceti vini, & drachmis duabus lapidum cancrorum, redeunte ſemper ſtadio frigoris ſummendum. *b*) *Baglivius* *c*) dum frigus aut horror univerſam corporis peripheriam convellit, remiſſionem horum procurari ait, ſi oleo deſtillato caryophyllorum epigaſtrica regio illineatur.

a) l. c. p. 314.
b) *Lind* von den Krankheiten der Europäer in heiſſen Climaten.
c) De fibra motrice L. I. C. ic. §. 8.

II. *Calor febrilis* vero) rarefacit ſanguinem, 2) laxat diſtenditque vaſa; quæ cum citatiore motu humorum, qui ſimul hic adeſt, conjuncta efficiunt tenuioris diſſipationem, inſpiſſationem reſidui, ſalium & olei ex ſangui-

gui-

guine evolutionem, exaltationemque, unde humorum ad putredinem diſpoſitio, ſitis &c.

Proinde *indicationes* adſunt, 1) rarefactionem ſanguinis, vaſorumque nimiam diſtentionem minuendi; 2) humores ſpiſſos, acres, in putredinem pronos, attenuandi, demulcendi, condiendi. Hinc indicationes in ſtadio iſto ſunt 1) quies corporis; 2) caloris moleſti per ſtragula ſenſim prudenterque detracta mitigatio; 3) ſanguinis miſſio, ubi acerbiores capitis dolores, & mentis alienationes vexant. Ut plane non ſint audiendi hi, qui tanquam maxime nocivam eam in intermittentibus rejiciunt; 4) Potus acidulus, qualem *Vogelius* præſcripſit; ex aqua communi ℔ IV, ſyrupi rubi idæi, & aceti vini āā unc. ij. Aut limonada; decoctum hordei cum nitro, & oxymelli ſimplici &c. Potus hi frigidiuſculi ſumantur, ut & calorem temperent, & ſitim fallant.

III. Sudor febrilis denique 1) morbi materiam, & humores, qui tempore paroxysmi a ſanitatis legibus degenerarunt, evehit; ſed ſimul 2) ſanguinem parte ſubtiliori privans, ſpiſſat, & 3) vires vitæ debilitat. Unde indicationes naſcuntur: 1) materiæ morboſæ, ut facilius expellatur, vehiculum ſuppeditandi, 2) ſubtiliorem ſanguinis partem, quæ amitti-

titur, ſubſtituendi, 3) vires vitæ erigendi: Eapropter indicata ſunt iura carnium cum ſucco aurantiorum, vel ptiſana, aut ſerum lactis vinoſum &c. Stragulis vero aggeſtis, aut diaphoreticis acribus ſudor urgendus non eſt, ne per ſudores elabantur illa, quæ retineri debebant, & ne intermittens in continuam vertatur, quod eveniſſe teſtatur *Sydenham a*): omnium autem optimus eſt, ſi & diu & blande talis ſudor exeat; imo potius aucta ſit inſenſibilis perſpiratio, quam profuſus ſudor.

a) Epiſt. Reſp. I. §. 11.

Multum intereſt, ne hoc ſtadium ſudoris ab ægro negligatur. *Bonnetus a*) narrat de puero 14 annorum, cui ſub tertio paroxysmo ſudor caſu quodam ſupprimebatur. Mox ſpasmo maxillæ, colli, reliquarumque partium, denique tetano corripiebatur; variarum partium paralyſis, aphonos, & per 14 dies in hoc ſtatu permanſit, donec ſuperveniente febre acuta continua ab his malis liberaretur. Pueri ſæpe difficulter liberantur a febribus intermittentibus, quia ſudorem non promovent, ſed inhibent potius extra lectum exſiſtendo. *b*)

a) *Bonnet* ſepulchet. T. I. p. 331.
b) *Stoll* Ratio medendi P. IV. p. p. 476.

CU-

CURA FEBRIUM INTERMITTENTIUM EXTRA PAROXYSMUM.

Poſtquam paroxyſmus febrilis deferbuit, ſanitas ægro ad ſenſum redit, ſed pro aliquo ſolummodo tempore: ſiquidem haud ita multo poſt, v. g. lapſo nychtemero, vel biduo triduove &c. revertitur febris, prægreſſæ ſimilis. Quippe morbi cauſſa nunquam non præſto eſt, ſtatis temporibus in actum ducenda, quod itaque ne porro fiat, apyrexiæ tempore medico adnitendum eſt; ad quod præſtandum exoritur *indicatio prima*, proximam febris intermittentis cauſſam deſtruendi. Cum autem iſta e concurſu proëgumenæ cum procatarctica coaleſcat, patet, utramque hanc tolli deſtruique oportere. Porro *indicatio ſecunda* ſequitur, effectus morboſos, a febre productos corrigendi. Prima itaque indicatio ad cauſſas, altera ad effectus morbi pertinet, atque in duabus his indicationibus omnis medendi febribus intermittentibus ratio ſita eſt. Sæpenumero autem evenit, ut ubi primæ earum ſatisfacere intendimus, ſimul poſteriori quoque ſatisfiat; alias vero perinde. In præſenti ergo, qua ratione cauſſa cum proëgumena, tum procatarctica tollenda ſit, diſpiciendum eſt; deín effectuum tollendo-

dorum doctrina ſequetur. Sed ſi uspiam, certe in provida, legitimaque cauſſæ proëgumenæ ac procatarcticæ oppugnatione ſublationeque medici prudentia, atque rerum in morbis uſu opus eſt, ut ne in eosdem offendat ſcopulos, ad quos tot alii hactenus, & artis ſuæ, & ægrorum ſalutis fecerunt naufragium. Hos igitur medicus tiro evitaturus, alte menti ſequentem imprimat medendi rationem: proëgumenam febris intermittentis cauſſam non eſſe impugnandam (niſi id gravioris mali metus urgeat) quam procatarcticâ aut in integrum, aut maximâ ex parte fuerit ſublata, tum illa ſcilicet, quæ primam febri oriundi occaſionem dedit, tum ea etiam, quæ occaſione prioris orta (fomes nimirum) periodice renaſcitur, ſtatisque temporibus proëgumenam excitat; ambæ enim hæ procatarcticam febris intermittentis cauſſam ſuo modo conſtituunt. Quodſi tamen ſuſpicio juſta adſit, ſublata illa prima occaſionali cauſſa, poſterioris (ſeu fomitis) regenerationem periodicam a proëgumena cauſſa unice ſuſtentari, hanc utique ocyus abolere oportebit; quo facto illa deſinet. Haud raro etiam contingit, ut ablata prima occaſionali, ſimul & poſterior, & proëgumena eodem tempore aboleantur.

Generali hac *cel. Trnka* animadverſione præmiſſa, id ſolummodo hic addo, intercalare ſcilicet febrium intermittentium ſtadium maximam medentium attentionem mereri; apyrexia enim tum de indole febris intermittentis, tum de peculiari ægroti ſtatu optime nos inſtruit.

Varias jam recenſebimus medendi methodos; & in quanam febrium intermittentium conditione, ſingulæ debeant applicari; ſeorſim explicabimus, Atque omnium primo conſideranda nobis eſt

METHODUS ANTIPHLOGISTICA.

Conditiones, ſub quibus methodus antiphlogiſtica in intermittentibus experientia comprobata fuit; ſequentes ſunt:

1) *Febres intermittentes vernales* hanc perſæpe methodum requirunt. Videmus, ait *Huxhamus a)* nonnullas febrium intermittentium ſpecies quam maxime ad ſtatum accedere inflammatorium, & regimem frigidum, convenientem diluendi modum, & interdum ſanguinis non minus ad aliquem gradum emiſſionem, quam alias requirere evacuationes.

2) *Plethora.* Dum in juvenili plethorico corpore, & imprimis verna tempeſtate metus, ne tempore caloris febrilis rarefactus ſanguis plena nimis vaſa rumpat, vel dum ingens capitis dolor ab eadem cauſſa urget, vel, ſi emetico opus ſit, ne inter vomendum ſanguine diſtenta vaſa, imprimis in capite, violentis illis nixibus rumpantur, venæ ſectio præmittitur. *b*) Unde & *Sydenhamus c*) ante emeticum exhibitum, in juvenibus plethoricis, verno tempore, in apyrexia phlebotomen, cujus ceteroquin in cura intermittentium tam parum fuerat amans, præmittebat, atque aliquot poſt horas emeticum jubebat ſumi. Subinde plethora ipſa, & ſumma ſanitas non tantum *coincidit* cum febre, ſed etiam eſt cauſſa *excitans* ejusdem. Certis, nec paucis obſervatis conſtat, febrim intermittentem ad unicam ſæpe venæ ſectionem absque omni alio remedio ſiluiſſe. Nec mira hæc, aut caſu facta videri debent, monente *cel. Trnka*; ſi enim ſpontaneo ſanguinis profluvio febris ſolvitur, cur non arte etiam ſanguine evocato idem contingat? Ad hæc forte reſpiciens *Sydenham d*) „ In tertianis, inquit, niſi chirurgi gladiolus eodem ictu, quo venam pertundit, ipſam etiam febrem confodiat, dictæ febres, etiam in vegetio-

tioribus, & athletice cætera valentibus, non niſi longo temporis tractu expugnari ſe patiuntur: in provectioribus autem diutinum febris cruciatum tandem etiam mors excipit. "

3) Præſente ſimul febre inflammatoriæ indolis. Nonnunquam obſervante *Huxhamo e)* „ quotidiana, ſemitertiana, & tertiana febris uno eodemque tempore cum pleuritide, & peripneumonia epidemice graſſantur, ut anno 1744 contigit: ubi frigida tempeſtas in quibusdam corporibus fibras ita arcte contrahebat; & ſanguinem usque in talem viſcoſitatis gradum condenſabat, ut refrigerio talem febrim inflammatoriam; aut alia excitaret ſymptomata. " Tali regnante Epidemia ſæpe accidit, ut in eodem homine febre intermittente obrepto, plura quoque viſcera & pulmones inflammatorio vitio afficiantur.

4) Ex eadem ratione, methodo plus minusve antiphlogiſtica opus eſt in iis hominibus, qui latente, chronica thoracis inflammatione laborant, aut ſanguinem frequentius ſpuunt.

5) Inflammatoriam ſanguinis diatheſin illi quoque homines facile ſibi contrahunt, quibus hæmorrhagiæ conſuetæ ſupprimuntur. Luculentum hanc in rem exemplum dedit

Madai. f) Mulier lactationis tempore corripitur tertiana. Varia illi a ſe incaſſum data eſſe ingenue fatetur autor: donec percunctando intellexit demum, ipſam ter antea jam matrem ſemper ſe bene habuiſſe, quod mox a puerperio menſes eruperint. At nunc ne indicium quidem eorum ſe percipere, niſi quod tempore acceſſionis tantos in ſpina dorſi dolores patiatur, ut doloribus partus longe ſint ſuperiores. Quo cognito omnibus mox ſepoſitis remediis venæ ſectionem imperat, qua facta febris conticuit. Poſt quatuor tamen hebdomades reverſa eſt denuo, ſectaque pedis vena rurſus evanuit. Redit nihilominus tertio etiam, iterumque venæ ſectione profligatur. Tandem erumpentibus catameniis febris non amplius rediit. Idem fieri obſervatum eſt, dum fluxus hæmorrhoidum ſuppreſſus revocabatur. Sic *Madai* refert militem a quartanæ novæ invaſione, ope hirudinum, vaſis hæmorrhoidailibus admotarum, liberatum. *g*) Pari eventu, refert *Raygerus h*), in viro quodam generoſo, temperamenti melancholici, ineunte vere anni 1680 per ſanguiſugas apertæ hæmorrhoides febrem quartanam profligarunt, quæ tota hyeme multis invaſionibus, & hæmorrhagia narium, per intervalla moleſtiſſima fuit, omniumque anti-

ti-

tiſebrilium, ipſius autem corticis peruviani vires eluſit. Unde *Riverius i*) monet, hæmorrhoidum fluxum, ſi in quartana contingat, non eſſe impediendum, ſed potius, ſi ſit parcior, promovendum, quin, ſi indicetur, per hirudines provocandum. *Fontanus k*) hiſtoriam tradidit tertianæ nothæ cum aphtis, ope hirudinum venis ſedalibus appoſitarum ſanatæ. „ Propter humorum varietatem ait, hæc febris multoties diverſimmode ægros affligit, medicosque ſuſpenſos tenet, quod minus deperditam ſanitatem aſſequatur, ut mihi contigit, qui hanc omni remediorum genere nequaquam curare potui, qua honeſtiſſima quædam domina cruciabatur: quæ tandem ope hirudinum tantum ſemel hæmorrhoidibus affixarum, ab ea liberabatur. „ Notat *Fontanus* hanc febrim jure merito continuam appellari poſſe, quia ab humore multo, eoque craſſo ac lento dependet, etſi tertianarum more exacerbationes ſuas habeat. Ex illis conſtat, *Fontanum* ad ſtatum apyrexiæ potiſſimum reſpexiſſe, qui certe primario in febribus intermittentibus conſiderandus eſt; cum accurata ægri extra paroxysmum conſtituti contemplatio latentia, intermittentique complicata vitia, atque proprium his characterem,

 quo

quo medecinæ genere utendum ſit, rectiſſime doceat.

Huc etiam pertinet circulatio ſanguinis per viſcera abdominalia impedita, ut in hypochondriacis, hæmorrhoidariis, gravidis &c. quod tum præſertim accidit, dum hæmorrhagiæ conſuetæ partium diaphragmate inferiorum, ut hæmorrhoides, menſes, lochia, ſupprimuntur. Tunc autem, ſi intermittens inde provenit, efficax eſt remedium ad febrem depellendam venæ ſectio in pede, teſte *Hoffmanno l*), adeo ut ne in gravidis quidem negligenda, nullum enim tunc periculum abortus eſſe metuendum affirmat, & exemplo hujus generis enarrato, probat. Monet vero, hac in re opus eſſe diagnoſi.

a) *Huxham* Op. Tom. II. p. 33.
b) *Van Swieten* ad aph. 762.
c) Epiſt. reſpon. I. §. 17.
d) Sect. I. C. 5. §. 25.
e) Op. Pars III.
f) *Madai* von Wechſelſiebern §. 203.
g) l. c. §. 203.
h) Schol. ad *Spindleri* obſ. 43.
i) *Riverius* Praxis med. L. XVII. C. 5.
k) *Fontani* obſ. rar. analecta C. XVI. Exemplum XIII. p. 59.
l) *Fr. Hoffmann* l. c. C. 2. Obſ. & aut. §. 18.

6)

6) In hominibus ad apoplexiam prædidiſpoſitis, ſi magno impetu ſanguis ad caput ruit, temperantibus pariter remediis, atque ipſa etiam ſanguinis miſſione opus eſt.

7) Subinde peculiaris febrium intermittentium epidemicarum genius eſt. Obſervarunt *Senac a*) & *Caſimir Medicus b*) epidemias, quarum intermittentes paroxysmis protractis adeo pertinaciter continuas æmulabantur, ut poſterior quater, prior vero quinquies etiam aut ſexies detrahere ſanguinem coactus fuerit; neglecta autem in hujus generis caſibus phlebotomia teſtatur. *Don. Monro c*) febres has vel in continuas abiiſſe, vel ſaltem corrici peruviano haud ceſſiſſe, ſed exaſperatas fuiſſe potius: contra eos poſt venæ ſectionem, & curam antiphlogiſticam præmiſſam, usque dum perfecta adeſſet intermiſſio, cortice peruviano brevi profligari potuiſſe tempore. Quod ſi vero paroxysmorum reduplicatio apyrexiam intercipit, non raro accidit, ut, unica facta phlebotomia febris reduplicata reddatur ſimplex, dimidiumque ſic morbi ſit ſublatum, quod *Foreſtus*, *Senac*, *Grant*, aliique plus ſemel obſervarunt. Neque res aliter eſt, dum intermittens, ſeu perperam tractata, ſeu ob epidemiæ genium, ad continuitatem vergit,

perinde enim tunc ſanguinis miſſio atque moderatum purgans refrigerans illam cito ad ejus typum reducet.

a) l. c. §. 7.
b) l. c. c. 1. B. §. 8. & 53.
c) *Monro* von Feldkrankheiten p. 150.

Atque in his intermittentibus apyrexia ſolet eſſe *imperfecta*, ita, ut finito paroxysmo pulſus narurali ſit celerior, cephalalgia perſtet, vexet ſitis, æger ſit languidus ac debilis &c. Sequentia tamen circa neceſſitatem mittendi ſanguinis in apyrexia imperfecta *Stollius a*) monet. „ Vidi ſæpius, præcipue in tertianis ſimplicibus, & adhuc ſæpius in duplicatis, nunquam eſſe perfectam apyrexiam, & adeſſe ſpeciem continuæ remittentis; attamen non ſemper debent in hoc caſu, imo raro venæ ſectiones fieri. Ratio videtur eſſe hæc: Multæ febres ſunt a ſaburra primarum viarum productæ, hinc illa ſymptomata e. g. ſitis, inappetentia, oris amaror oriuntur. Hinc etiam capitis dolor *deuteropathicus*. Laſſitudo autem prægreſſo tumultu febrili deduci facile poteſt. Male ergo illi in febribus autumnalibus præcipue, ſibi regulam pro neceſſitate venæ ſectionis faciendæ deducunt ex *imperfecta tali apyrexia*, id quod tamen

a medicis non ignobilibus factitatum vidi. Secundo contingit, ut ſæpe copioſus ſequatur ſudor in fine paroxysmi, undecunque orti. Jam cum & internæ & externæ partes æqualiter ſudent, facile fit, ut ſudoris quid in primis viis maneat, indeque primis viis affectis oriantur ſymptomata ſuperius enarrata. Tertio, ſubinde ob impatientiam ægri ſe in lecto continere, & finem exſpectare nolentis fit, ut criſis integra materies febrilis pro præſenti paroxysmo non fiat. Ideo repetunt calores etiam tempore apyrexiæ, variaque male affecti corporis ſymptomata inde oriuntur. "

a) *Stoll* ratio medendi P. IV, p. 218.

8) Antiphlogiſtica etiam methodo opus eſt in dolore capitis, qui cum calore incipit, creſcitque, neque deſinit, ubi acceſſio finita eſt, ſed per intervalla apyrexiæ tempore recurrit, neque emeticis, neque catarthicis, nec veſicantibus, nec febrifugis poteſt ſuperari, ut ait *Grantius*, ſed venæ ſectioni cedit, quippe qui inflammatoriæ eſt indolis. Sed iterum accurata obſervatione opus eſt, ut eam cephalalgiam, quæ a turgente ſanguine eſt, ab illa, quæ a vitio bilioſo originem trahit, probe dignoſcas. Quod

de cephalalgia ab hac cauſſa dictum eſt, majori utique de eo delirio ab eadem cauſſa excitato intelligendum eſt.

Hæc autem methodus antiphlogiſtica conſiſtit in potu multo diluente, ſolvente, acidinſculo, decocto graminis, hordei, cum nitro, oxymelle ſimplici, cremore tartari &c. Si autem primæ viæ tenaciori ſimul materie ſcatent, ſalia quoque media e. g. ſale Glauberi, arcano duplicato, atque lenibus eccoproticis ſcopo, incidente & ſimul blande evacuante opus eſt. Ipſa etiam venæ ſectio ſæpe in cura intermittentium requiritur. Quam varia ſit intermittentis febris ad inflammatorium vitium relatio, optime apparet ex conſtitutione vernali anni 1773, quam *Stollius a)* in Hungaria obſarvavit: "

„Menſe Martio & Aprili peripneumoniæ & pleuritides, anginæ; finiente Aprili & menſe Majo tertianæ. Hac tempeſtate verna ſequentem feci obſervationem circa intermittentes febres.

1) Vidi intermittentes tertianas cum exiguo frigore, calore magno & diuturno, absque dolore locali.

2) Tertianæ paroxysmum cum ſolo dolore majore, aut minore capitis, calore magno, diuturno, dolore lumborum, appetitu

pro-

proſtrato, lingua alba, etiam *extra paroxyſmum* tali perſiſtente. Calor hic in paroxysmo eſt cum intercurrentibus leviuſculis horroribus, toto paroxysmi tempore. Plenaria in utroque caſu apyrexia, præter aliquam ſubinde laſſitudinem. Subinde manet appetitus proſtratus.

3) Tertianæ cum vel absque frigore, cum caloribus magnis, diuturnis, & dolore pleuritico, vel oppreſſione pectoris, & vera peripneumonia.

4) Tertianæ quoad frigus, calorem, ſudorem, & apyrexiam *apparenter* ordinariæ, his aut ſponte, aut arte recedentibus, poſt paucos dies febres inflammatoriæ ortæ.

5) Tertianæ ordinariæ methodo ſolvente, diluente, ſalibus, amaricantibus curandæ.

Priores ſpecies vidi in hominibus juvenibus, robuſtis, potui & nimio motui deditis, inflammatoria diſpoſitione laborantibus. Febris talis aliquoties per ſe ceſſavit, at ſucceſſit verus morbus inflammatorius, pleuritis, peripneumonia. Subinde prægreſſis paucis paroxysmis, die ſubinde libero, ſubinde die paroxysmi, orta febris inflammatoria eſt. Quando poſt febrem, ſive ſua ſponte, ſive arte ceſſantem, interjectis paucis diebus, morbus inflammatorius ortus eſt, tunc factis licet

cet venæ ſectionibus tamen non rediit febris intermittens, etſi alias venæ ſectio poſt febrem intermittentem recidivas facere ſoleat. Hinc ſequentia deduxi:

1) Intermittentes facillime cum morbis acutis, aut diſpoſitione inflammatoria conjungi poſſe. Inflammationem aut producit, aut ab inflammatoria diſpoſitione oritur, ita, ut non obſtante, quæ adeſſe videbatur, apyrexia, morbus non fuerit febris *intermittens*, ſed ſolum remittens, & inflammatoria.

2) In hoc caſu licet, imo debet venæ ſectio fieri, quamvis omnes clament adſtantes, venam in intermittentibus non eſſe ſecandam.

3) Si nulla actualis inflammatio venæ ſectionem poſtulet, dantur tamen varia ſigna, unde cognoſces neceſſitatem venæ ſectionis in tali febre intermittente vernali, ſunt autem ſequentia:

a) Venæ ſectio jam prægreſſa, in qua ſanguis cum cruſta inflammatoria adparuit.

b) Conſuetudo ſpirituoſa, vinum copioſum bibendi.

c) Ætas morbis acutis obnoxia; homo acutis alias frequentius infeſtatus.

d) Morbi inflammatorii tunc temporis regnantes, uti plerumque tempore verno regnare ſolent.

e) Prægreſſus exceſſus, qui alias febres inflammatorias excitare ſolet in aliis.

f) Si paroxysmus non incipiat a frigore, a calore, & dein, lege ordinaria, ſudore terminetur; ſed ſi toto paroxysmi tempore calores cum frigore alternent, totoque tempore ſudore terminentur.

4) Legi quidem ſæpius, medicorum regulam de venæ ſectione facienda in intermittentibus; ſed ita timide illam ſtatuunt, ut excepta actuali inflammatione, poſtulent hominem ſumme plethoricum, & maximos, ac maxime diuturnos calores. Hanc regulam timidius medici exequuntur; forte ſat male. Nam ſicut venæ ſectio in homine vere debili adminiſtrata nocet, etiam extra febrem intermittentem, illam vero præſentem altius infigat; ſic in homine apparenter tantum debili, latente diatheſi phlogiſtica, venæ ſectio inſigniter prodeſt, & febris aut mitior fit, aut ſaltem ſecurior, aut (inducta ſcilicet per venæ ſectionem inſigni mutatione) omnino diſparet, non amplius rediens.

5) In primis quatuor ſpeciebus, cortex ante venæ ſectionem exhibitus nocet, ob vim adſtringentem.

6) Præmiſſa larga venæ ſectione longe tutius cortex exhibetur, imo ſubinde requiritur, ne paroxysmus rediens de novo, commoto ſanguine, in morbum acutum tranſeat. Quamvis ego nunquam corticem dederim poſt venæ ſectionem, ſed ſolum, uti in acutis, methodo antiphlogiſtica uſus fuerim, paroxysmo; aut non, aut ſaltem leniter redeunte. *a*)

a) *Stoll* Ratio medendi P. IV. p. 492.

Quo plus inflammammationis, quo plus plethoræ, eo generoſior methodus antiphlogiſtica. Certum eſt, venæ ſectionem & *prophylactice*, & *therapeutice* ſubinde indicari.

Secanda vena eſt in apyrexia; niſi in delirio caloris febrilis; itemque in metu apoplexiæ, ſub ipſo paroxysmo hic tundenda.

Nocet autem hæc methodus, generoſior ſaltem, & protracta in autumnalibus ſaburralibus, cachecticorum, cacochymicorum,

ME-

METHODUS SOLVENS.

Alia, eaque ampliſſima methodus, ſeu remediorum numerum, ſeu exhibendi opportunitatem ſpectes, in apparatu medicaminum *ſolventium* conſiſtit.

Solventia autem remedia compoſitum medicinæ genus conſtituunt, quod in *humores* æque ac in *ſolida* agit; atque ex binis quaſi elementis coaleſcit, ſcilicet ex humore diluente, *plus minusve ſaponaceo*, & ex *ſtimulo* quocunque. Etſi autem neutrum horum ſolum ſufficiat, nec ſolum *diluens*, nec ſolum *ſtimulans*, tamen, cum permagna ſit inter hæc remedia pro vario efficaciæ gradu differentia, univerſim *duo ſolventia genera* poſſunt conſtitui; unum, quod in ſola fluida efficaciam exſerit, ea ad majorem fluiditatis gradum perducens; alterum vero, quod præter immediatam in fluida actionem dictam, vaſis inſuper ſtimulum roburque adjicit, ad lentorem humorum celerius deſtruendum. Ad priorem claſſem referuntur ea, quæ mere vel aquoſæ, vel ſaponaceæ, vel mitioris ſalinæ ſunt indolis, ita, ut diluant, reſolvant, incidantque, quod ſpiſſum, tenax, lentumque eſt, ut fructus horæi maturi, ſapo venetus, mel, ſalia neutra, aquæ variæ

ine-

medicatæ &c. Ad poſteriorem vero pertinent, quæ præter nunc enumeratas dotes, aromate ſimul pollent efficaci, præſertim amara illa, quæ bilis defectum ſupplent, inertiamque corrigunt, digeſtionisque ſic negotium emendant, unde etiam nomine *digeſtivorum* aut *ſtomachicorum* veniunt, ut centaurium, ſtelenium, absinth. &c. Salia alcalina acida, media, volatilia, aut ſemivolatilia, gummireſinæ &c., variaque ex his compoſita.

Quoniam vero, ait *cel. Trnka a*), duplex ſolventium genus eſt, neque promiſcuus utriusque uſus eſſe, ut per ſe liquet, poteſt, ideo ſelectu ſemper opus eſt.

Selectus autem iſte in duobus conſiſtit, nimirum in ſolventium ipſo genere, ſeu claſſe primum, tum ut e qualibet harum duarum claſſium ea præ aliis in uſum vertantur, quæ adverſus intermittentes efficaciora reliquis docuit rerum uſus. Atque 1) *genus ſolventium*, quodnam e duobus in dato caſu ſit ſeligendum, determinat horum remediorum agendi modus, comparatus cum ægri ætate, humorum ſtatu, anni tempore, & febris indole. Videlicet ſi æger ætate florens, euchymus, plethoricus, ad phlogoſin inclinet, ſi tempeſtas anni ſit calidior, febrisque ſpecta-

ſtato typo, acceſſionem vel numero, vel longitudine, caloriſque vehementia ſit ea, quæ facile in continuam abire poſſit. In eaſu hujusmodi ſolventia primi generis, quæ in ſolida minus vehementer agendo, motum humorum non accelerant, adhibere oportebit; id eſt, *ſolventia antiphlogiſtica*; cavendaque illa erunt, quæ ad alterum genus pertinent; ut quæ motum humorum, addito vaſis ſtimulo, augendo, facile intermittentem in continuam vertere poſſent. Quod ſi æger cachecticus, exhauſtusque ſit, lentorque ſanguinis ſit frigidus, bilis iners, ætas ægri provecta, intemperiesque aëris humida ac frigida febres invexit, tunc ſecundi generis ſolventia locum habent. Verum enim vero ſunt caſus, ubi e memoratis accidentibus utrinque aliqua ita in uno concurrunt ægro, ut ſolventia utriusque claſſis uſurpare oporteat. v. g. ſi juvenis æger, pravo victu uſus, & infarctu viſcerum, digeſtioneque languida, diu a febre jam detentus eſſet.

a) l. c. p. 421.

Potiora nunc ex ſolventium apparatu remedia enumerabimus.

Primum locum occupant ſalia, quæ largo aquoſo vehiculo ſoluta, aptam exhibent medicinam, & diluendo & ſtimulando aperientem.

Efficax omnino eſt largus aquarum mineralium potus, quippe, quæ non tantum aquoſa ſua parte præcipua diluunt, ſed ſalibus in ſe ſolutis incidunt, obſtructiones tollunt, & purgant. Præſertim autem in harum febrium cura ſeſe commendarunt acidulæ *Roithſhenſes*, *Swalbacenſes*; licet ab aliis ejusdem proſapiæ idem effectus fuerit obſervatus. Ad pertinaces quartanas certum eſſe remedium harum aquarum uſum, affirmat *Senac.*

Alcalina fixa, ut eſt ſal tartari, *Riverio a*) olim in his febribus, ob effectus egregios familiare, & quo quartanam contumacem ſe nonnunquam feliciter ſuſtuliſſe teſtatur *Senac.*

Inter *ſalia remedia* vix aliquod eſt, quod impenſe in cura harum febrium commendatum non fuerit. Uſitatiora ſunt arcanum duplicatum, ſal Glauberi, atque horum mitiſſimum terra foliata tartari. Præcipuus horum ſalium uſus eſt in hominibus diatheſi phlogiſtica tentatis, nervorum ſyſtemate nimis irritabili, atque in vernis potiſſimum inter-

mit-

mittentibus, quæ tranſitum in continuas mi-
nuantur.

Omnibus his tamen palmam conſenſu omnium præripit *ſal ammoniacum*, quod peculiare quid contra intermittentes habere videtur, ſi tempore apyrexiæ ad drachmam unam, duas, ſemel aut ſæpius præbeatur. Multis eam laudibus ornavit *Muys a*) & *Werlhof b*). In febribus quotidianis, tertianis & quartanis, ait *Tilingius c*), quæ in hisce regionibus hac æſtate familiares admodum fuerunt, ſale amaniaco medicamentum nullum utilius ſalubriusque deprehendit, quapropter vel illud per ſe ſolum ad grana XII. vel cum ſalibus abſinthii, & nitro permixtum, præmiſſis univerſalibus, febricitantibus ante paroxysmi invaſionem in convenienti liquore exhibui. Si prima vice non juvit, propinavi ſecunda, & ægri a febribus liberati ſunt; „ Idem expertus eſt *Lautter d*), niſi quod in quartanis minus, quam quotidianis & tertianis viderit eſſe efficacem. Perinde T. C. *Jacobi e*) præmiſſa emeſi aut catharſi, præbendo ſalis ammoniaci ut minimum drachmam unam ter per diem, in ſubſtantia, vel aqua cinnamomi, præſertim die febrili, multos ægros a pertinacibus intermittentibus liberavit; *Læſeke f*) vero fidem e propria experientia

ſpondet, plures a ſe intermittentes ammoniaco ſale, quam ipſo cortice peruviano fuiſſe ſublatas; & quartanam integro jam anno durantem, unica ſalis hujus drachma exhibita, mox fuiſſe profligatam. Notatu tamen dignum juxta ac neceſſarium eſt, omnia hæc ſalina, præſertim, quæ paulo acriora, in ſenſibilioribus ægris plus moleſtiæ quandoque, quam commodi afferre, ut obſervarunt *Hoffmannus g*) ac *Tiſſot h*); quare pertinaciter tunc eorum uſui inſiſtendum non eſt, ſed mitiora iis exhibere oportebit.

a) *Muys* Diſſ. de ſal. ammon. præcl. ad febr. intermittent. uſu.

b) l. c. p. 44.

c) Eph. N. C. Dec. II. Ann. 2. Obſ. 67.

d) *Lantter* hiſt. med. biennal. morb. rural. p. 17

e) Abhandlungen der auserleſenſten Arzneymittel.

g) Med. rat. ſyſt. Tom. IV. P. I.

h) Avis au peuple.

Convenit præcipue ſal ammoniacum, alvo diarrhæica, vi coctrici languida, & purgantibus ob eam cauſſam contraindicatis; adeo enim alvum non reddit fluidiorem, ut eam potius adſtringat, & ſolutos impuros humores per urinæ vias e corpore eliminet. Aptum in hoc caſu eſt hujus ſalis connubium cum remedio modice aromatico e. g. floribus chamomillæ, aut cum gummi arabico.

Ad

Ad ſolventia remedia pariter pertinent ſapones tum naturales, tum arte parati; mel, oxymel; ſapo venetus, ſapo ſtarkeyanus. Bilis inſpiſſata.

Maximam vero laudem in febribus intermittentibus ob egregiam ſuam vim ſolventem plantæ amaræ, ſubamaræ, lacteſcentes merentur, quæ aut ſuccis ſuis recentibus, aut extractis, decoctisque ex illis paratis, obſtructa potenter aperiunt. Solemne nobis erat in ſchola clinica decoctum ex radice graminis, cichorei, taraxaci ana unciis ij. Colaturæ ℔ 1 β addebatur ſalis mirabilis Glauberi unc. β ad drachm. VI. Saturatiſſimum decoctum graminis & taraxaci *Hænius* a) præſcripſit.

Rec. Rad. graminis
— Taraxaci āā ℔ 1 β.
Minutiſſime conſciſſa, & diu tuſa coque aqua pura per bihorium. Colaturæ prælo fortiter expreſſæ ℔ iij.
adde
oxymel ſimpl. ℔ β.
Sal. polychr. drachm. VI.
M.
Unciam ſumat quovis bihorio.

a) Rat. med. P. XI. C. I. §. 1. p. 4.

Gummi ferulaceorum virtus reſolvens intermittentes febres non raro tollit. Inſignem illorum utilitatem *Stollius a*) expertus eſt. „ Quidam ho: menſe (Jan. anni 1779) ad nos venerunt cum irradicatis quartanis; cum ſæpius uſus eſſem conſervis naſturtii aquatici, & trifolii fibrini ãã unc. ij, cum pulvere radicis gentianæ & florum ſalis ammoniaci martialium ãã drach. ij. & non pauci curarentur, quidam vero non emendarentur, nec a cortice, nec a conſervis his, hinc dedi ſequentes pilulas:

Rec. Sapon. venet. unc. β
Gumm. ammon. dr. iij.
Maſſ. Pil. Ruff. dr. β.
Elixir propriet. q. S. ut f. pil. gr. iij.
Ter per diem pil. quatuor ſumat.

Statui præcipue in fœminis *Hæniana* methodo uti, quam is ſcilicet adhibuit in *omnibus fere fœminarum morbis*, iis nempe, qui languidiori humorum, eorumque ſpiſſiorum motui debebantur (& quot illarum morbi huic cauſſæ non debentur?) fauſto hoc omine dedit, in perquirendis morborum chronicorum

cauſ-

cauſſis mire ſagax, & in iis ſanandis multo felicior, quam in acutis. *

* *Stoll* Rat. med. P. III. p. 88.

Arnica & ob *reſolventem*, atque etiam alterantem vim, præcipuum ſibi hic locum vindicat. Sequentia autem circa arnicæ in febribus intermittentibus uſum *Stollius a*) obſervavit.

„ Anno 1779. menſe Decembris quartanas quasdam primo ſolventibus multis, decocto graminis, taraxaci, & ſalibus mediis adgrediebamur, & cum intenderentur, & hydrops inſtaret, cortice peruviano. Febris compreſſa eſt, ſed exactis duabus ſeptimanis denuo revertebatur, niſi majores corticis doſes quotidie & diutius devoraſſent. Quidam ſub uſu corticis continuato in febres continuas, inflammatorio - putridas inciderunt.

Placuit ergo quartanis ſerius obblatis, iisque duplicatis, & triplicatis aliam aptare medendi rationem, in iisque florum arnicæ vires periclitari.

Pulverem florum arnicæ ope ſyrupi corticum aurantiorum in formam electuarii craſſioris redigi curavi, juſſique, ut æger quotidie quater caperet, quantum nucem moschatam æquaret. Qui hac doſi utebantur, car-

dialgiam flatulentam, tolerabilem tamen experiebantur. Atqui majores portiones aſſumpſerant, ventriculo graviſſime dolebant paulo poſt, inter ejulatus & ſudores uberrimos, frigidos, pingues, tenaces cum pulſu magno & pleno, tardiſſimoque. Alvum experti ſunt difficiliorem, & ſolo ferme enemate proliciendam.

Cardialgia hæc & enemate mitigabatur, & carminantibus variis, opio præſertim, ſecure & cito.

Quartanæ triplicatæ hac methodo in duplicatas, hæque in ſimplices converſæ ſunt intra non multos dies; ex integro cum reliquo quartananarum febrium ſatellitio profligatæ ſunt, absque periculo recurſus.

Qui largiores florum doſes abſumebant, ventriculo gravius dolebant, ſed multo citius ſanabantur ex febre: quaſi ea ipſa permoleſta ventriculi affectio, quam flores arnicæ excitarant, febriles elideret paroxysmos: ut idcirco graviſſimæ febri, & pertinaciori non mederetur, niſi valida, & morbo commenſurata remedii actio fieret in nervos præcordiorum.

Non perinde nobis erat ipſos arnicæ flores, vel vero eorundem decoctum exhibere. In febribus putridis decoctum præplacuit, in

in intermittentibus vero flos ipſe. Decoctum florum vomitum *crebrius* concitabat, ſed *rarius ventriculi* dolorem, eumque leviorem. Præterea proniores habebant, liberioresque ſeceſſus ſub uſu decocti, quos non niſi laborioſos & raros querebantur, qui floribus ipſis fuiſſent uſi.

Hæc ipſa florum arnicæ vis in nervos gaſtricos quosdam explicatus dabit, ſublatæ quondam eo remedio tuſſis convulſivæ, quæ quibuscunque antea medicamentis reſtitiſſet. Operæ pretium forte non pœnitendum is reportaret, qui acuratius in vires hujus flores potentes ſane inquireret, & vim hanc *cardialgicam* floribus peculiariter inſitam atque ſpecificam, certis noſſet affectibus morboſis tanquam medicinam opponere.

Quid? ſi in morbis quibusdam graviſſimis nervorum, epilepſiæ, maxillæ tetano, aliisque, ubi non raro nimis curtam medicinæ ſupellectilem quærulamur, remedii hujus cardialgicæ vis exploraretur? „

a) *Stoll* l. c. p. 160.

Potentiora adhuc dantur reſolventia, martialia ſcilicet, antimonialia, & mercurialia.

Ferrum & ejus præparata ſolventium virtutem adjuvando magni ſæpe uſus ſunt, & chloroticarum præcipue intermittentes pulchre ſanant:

Antimonium ejusque præparata ab omni ævo contra intermittentes ſunt laudata. Maximam autem laudem *ſulphur auratum antimonii* adquiſivit. *Caſ. Medicus a*) annoſam fœminam omnia quæque remedia reſpuentem, a gravi intermittente vindicavit ope ſex pilularum, quarum ſingulæ e. gr. ij. hujus ſulphuris cum s. gr. extracti centaurei conflatæ erant, ita ut pilularum unam ante invaſionem, alteram ſub hujus initium, ac tertiam denique principio caloris ægræ præbuerit; idemque tempore ſecuturæ acceſſionis (quæ tamen emanſit) faciendum imperaverit. Notat laudatus autor, non eodem ſemper cum eventu ſeſe remedium hocce dediſſe, verum tamen febrem tunc ita plerumque fuiſſe infractam, ut deinde minore multo, quam alias, corticis peruviani doſi ſuperaretur. Sed nemo de hoc medicamento adverſus intermittentes uſurpando melius, quam *Unzerus b*) egit.

a) Sammlung von Beobachtungen. I. P. §. 111.
b) Mediciniſches Handbuch.

Mer-

Mercurius denique, non ſolum ob antiſiphiliticam virtutem, ſed tanquam reſolvens medicamentum, egregios effectus in obſtructionibus viſcerum referandis præſtat; atque inter ejus præparata *mercurius dulcis* præcipue laudatur. Inunctiones etiam mercuriales a nuperis contra hepatitidem, ſeu potius lentos hepatis infarctus laudatæ, etiam intermittentibus, maxime in rebelli quartana, utiliter adhibentur.

Id quoque notatu dignum eſt: Obſervavit *Pringle a*) in ægris verminoſis febres, licet non a vermibus ortæ ſint, ab hisce tamen graviores ac diuturniores affectas fuiſſe; atque hoc in caſu mercurii dulcis gr. XII. cum rhei drach. I. absque ullo unquam ſiniſtro eventu præbere conſuevit.

a) Von den Krankheiten der Armee C. 4.

Methodus hæc curandi febres intermittentes ſolventium remediorum uſu latiſſime patet, atque ut generatim loquar, ubicunque humorum lentor, atque viſcerum adſunt obſtructiones, optimum effectum præſtat.

Methodus autem hæc non convenit 1) præſente phlogiſtica temporum & corporum diatheſi. Ubi ſcilicet corpus robuſtum, plenum ſtrictumque eſt. Hoc in caſu febris levior eſt & vernalis ſalutaris eſſe poteſt, ſi motu

ſuo

ſuo excitato, & multo ſolvente potu ingeſto nimiam illam ac ſuperabundantem ſanitatem, illum vigorem adhleticum imminuat, & ad ſalutarem mediocritatem reducat. Sunt, qui febrem vel continuam, vel continuam remittentem, vel & benigniorem intermittentem ſibi certo proxime inſtantem prædicunt toties, quoties pingueſcere, & plenioris fieri corporis incipiunt, & ad ſtatum illum nimiæ ac athleticæ ſanitatis perveniunt. His methodus mere antiphlogiſtica convenit, ſi febre laborent, quæ ſibi tamdiu permittenda eſt, donec ſuperfluum illud in corpore nimium ſano detriverit. Sunt febres quædam ex intermittentium genere, quæ quotidie, aut omni tertio die recurrunt, cum levi pectoris oppreſſione, dolore leviori thoracis, aut lateris punctorio, ſiti, quæ quidem etiam tempore intercalari perſtat, lingua alba, ſicca, quam veteres peripneumonicam appellarunt. Soluto paroxysmo incommoda pectoris ex integro ceſſant, manet exigua laſſitudo. Hæ febres ad intermittentes non pertinent, ſed ſunt pleuritides aut peripneumoniæ nondnm formatæ, quæ per modum paroxysmi redeunt, & intra paucas horas denuo ſolvuntur, donec tandem perfecta & adæquata pleuritis formetur, & paroxysmus non amplius ſolvatur,

tur, ſed uno tenore perſeveret. Cavendum, ne haſce imperfectas & nondum formatas pleuritides periodice recurrentes cum febre larvata, ſymptoma pleuriticum habente, confundamus, & ad corticem confugiamus. Convenit potius methodus mera antiphlogiſtica, potus ſolvens, diluens, una, & ſæpe plures venæ ſectiones. Febres hæ quotidie plerumque, rarius omni tertio die recurrunt, tempore verno admodum frequentes ſunt, & prava methodo curatæ in phthiſin tranſeunt.

2) Non convenit, ſaltem protractior diluentium ſolventiumque potuum uſus, in febribus autumnalibus, ubi ſyſtema gaſtricum ſupra modum jam relaxatum eſt, ubi multa, tenax, & bilioſa colluvies primas vias inundat.

3) Non prodeſt dicta methodus in febribus diu admodum protractis, in hominibus laxis, debilibus, iisque omnibus, qui potius remediis roborantibus & adſtringentibus opus habent. Teneris enim puellis, ait *Swietenius a*), & debilis temperiei hominibus quandoque per febres intermittentes ſic ſolvuntur omnes humores, ut profuſis ſudoribus diffluant, non tantum in paroxysmi febrilis fine, ſed & quovis alio tempore, & præcipue dum dormiunt (Britannos maxime in tales ſudo-

dores, dum febribus intermittentibus laborant, proclives inveni.) Facile autem patet, attenuantia & diluentia hic nocitura fore, dum nimia diſſolutio humorum & ſolidarum partium debilitas jam adſunt.

a) l. c. ad aph. 758.

METHODUS SURSUM EVACUANS.

Tertia curandarum febrium intermittentium methodus eſt, quæ emetica propinat.

Emetica ſemper conveniunt, quoties ſordium primas vias, & præcipue ventriculum occupantium, atque turgentium ſigna adſunt. Signa hæc turgeſcentiæ nobis ex doctrina de febribus biliosis cognita ſunt. Id tamen obſervandum, plerasque intermittentes autumnales emetico indigere, cum fere omnes illius temporis febres a colluvie biliosa ſyſtematis gaſtrici originem trahant.

Inter uſitatiora noſtris temporibus emetica, tartarus emeticus & radix ipecacuanhæ eminent.

Tartarus emeticus, ſi probe dilutus propinatur, tutiſſimum, quin leniſſimum emeticum eſt: Solvuntur grana quatuor in libra una aquæ, & ægro omni hora qua-

dran-

drante quarta pars exhibetur. Vomitum ſimul & alvum ſatis certo movet, absque illis anxietatibus, quas quidem immerito huic remedio adſcribunt. Efficacius adhuc medicamentum redditur, ſi ſal quidam medius, ſi oxymel vel ſimplex, vel ſquilliticum jungatur. Cum ejus medicamenti ſolutio per epicraſin exhibeatur, numerus vomitionum quaſi in medici poteſtate eſt. Id præterea obtinemus, ut certiores ſimus de futuro vomitu, ſi tartarum emeticum dederimus, quam ſi radicem ipecacuanham præſcribimus. In febribus autumnalibus, ubi craſſa tenax, & parietibus ventriculi firmius adhærens bilis eſt, multis prærogativis gaudet tartarus emeticus præ radice ipecacuanhæ; radix hæc ſubinde vetuſtior & effœta effectum minus certo ſortitur; in ventriculo multum gluten continente ſæpe diu iners hæret, & tandem ad alvum ruit, vomitu non excitato. Præterquam, quod ſolutio tartari emetici ab ægro facilius ſumatur, utpote guſtus & odoris expers, quin quod & grata reddi poſſit.

Alii utuntur radice ipecacuanhæ in pulvere ad ſcrupulum unum, duo, eaque ſola; alii jungunt granum unum tartari emetici ad ſcrupulum unum radicis.

Alii radicis hujus infuſo utuntur methodo Americanorum Braſilienſium. Infunduntur drachm. 1 β, dr. ij., quin & tres in unciis — IV. aquæ; infuſio ſtet in digeſtione per noctem. Sequenti mane percolatur liguor, & edulcoratus per epicraſin detur, e. g. omni ¼ horæ duo cochlearia. Apud infantes, debiles, delicatulos, gravidas hæc methodus optime convenit.

Vidimus ubi emetica proſint, & quænam præ aliis conveniant; & quæritur, quo tempore ſint exhibenda?

Hoc ut decidamus, obſervandum eſt, emeticum nunquam debere propinari, niſi materies mobilis ſit, & rejici vomitu poſſit parata. *Hippocrates* vult, ut corpora reddantur εὔρυα; & dein purgentur. In febribus vernalibus cum ſaburra bilioſa plerumque minor adeſt ſaburræ tenacitas, perſæpe materies ex natura ſua tenuior dilutiorque eſt, ita, ut hoc in caſu præmittenda incidentia ſunt & ſolventia, qualia ſunt omnia ſalia remedia, cum roob ſambuci, pulpa prunorum, tamarindorum, caſſiæ mixta, aut cum oxymelle. His præmiſſis fluctuantem oportet ſaburram mobilem jam, emetico excutere. In febribus autumnalibus medicamentum ſolvens ſalinum fere ſemper præmittendum eſt,

alias

alias neglecta hac cautela vomitus erit aut inanis, aut admodum difficilis, & utplurimum absque effectu.

Tempus exhibendi quod attinet, an mox a paroxysmo, an paulo ante paroxysmum exhibere oporteat, ſequentia obſervanda ſunt.

Vomitorium ſcilicet exhibendum eſſe tunc, quando viæ ſecundæ humoribus morboſis omnium minime ſunt inquinatæ. Conſtat finito paroxysmo febrili excuſſum per ſudores eſſe, quidquid fere alieni in ſanguine hæſerat, at dein temporis progreſſu multum denuo reſorberi a primis viis, donec collecta reſorptaque magna denuo quantitas fuerit in viis ſecundis, quam natura excitato febrili motu denuo per ſudores difflat. Hinc in febri a ſaburra bilioſa, aut quacunque alia orta, viæ ſecundæ paulo ante paroxysmum ſunt inquinatiſſimæ, poſt paroxysmum vero integre ſolutum denuo ſunt ad aliquod tempus repurgatæ. Hinc præſtat illo tempore emeticum exhibere, ubi peccans materia fere tota in ventriculo collecta eſt, & ubi viæ ſecundæ ferme ab hoc vitio immunes ſunt. Propinandum ergo emeticum eſt poſt paroxysmum, ſed eundem ex integro ſolutum. Accedit etiam, quod in paroxysmo febrili, cum ſudor adſit, non ſolum ſuperficies externa

ſudorem copioſum, ſubinde fœtentem excernat, ſed & omnes ſuperficies internæ idem faciunt; & cum ſudor ille ſuperficiei oeſophagi, ventriculi inteſtinorumque, niſi cito poſt paroxysmum alvo & vomitu excutiatur, denuo reſorberi debeat, præſtat finito mox paroxysmo emeſin concitare.

Alii emeticum in apyrexia exhibent, modo pharmaci evacuantis operatio ante ſequentis invaſionis tempus hora una alterave terminetur. Ratio eſt, quod dum materialis morbi hujus cauſſa tollenda eſt, tale debeat ſeligi tempus, quo partes organicæ illam continentes ab omni ſpasmo ſunt immunes, ut eandem facile dimittere queant ad colatoria. Quod utique non in acceſſione, ubi ſpasmi oberrant, ſed in apyrexia tantum obtineri poteſt.

Nocet autem emeticum 1) in illis febribus intermittentibus, quæ ablata licet febrili materia nihilominus perſeverant. Contingit enim, ut paroxysmis aliquoties redeuntibus, nervi quamdam quaſi conſuetudinem & quemdam habitum contrahant, ita, ut licet fomes febrilis nullus amplius ſit, paroxysmi tamen ex mero habitu redire perſeverent, quemadmodum qui ſtato tempore aut alvum ponit, aut lotium mittit, aut cibos aſſumit,

ſi

id facere aliquando non poſſit, e. g. negotio impeditus, nihilominus ſtimulo quodam ex conſuetudine redeunte admonerur ad alvum ponendam, ad lotium mittendum, ad cibos capiendos; ita etiam idem de febre valet, præcipue in hominibus mobilibus, frequenter febre laborantibus. Hoc in caſu emeticum nocet, nervos irritatos debilesque magis debilitat. Febrem hanc absque cauſſa materialem perſeverantem proprie cortex jugulat.

2) Nocet emeticum in febribus a multa tenacique pituita oriundis, niſi hæc ipſa materies prius attenuata, mobilisque facta ſit, ut emetico ejiciatur.

3) Nocet in iis, qui laxo admodum ventriculo, & imbecillibus inteſtinis ſunt, ſi excuſſa ſemel emetico ſaburra, id ſæpius ſaltem repetamus. Prava methodus, quæ vomitoriis tamdiu inſiſtit, donec omnia prorſus crudi apparatus ſigna diſparuerunt; etſi ſæpe contingat, ut repetitis nonnunquam per intervalla vomitionibus ventriculum purgare conveniat; tamen non omnis perſeverans poſt vomitorium cardialgia, non omnis lingua etiam poſt vomitum impura perſiſtens, repetitum emeticum poſtulat. Fit enim, ut excuſſa etiam ſaburra nihilominus ventricu-

gravari premique videatur, præcipue in hominibus debilioris ventriculi, & pravæ digeſtionis. Hoc ventriculi incommodum poſt vomitum etiam perſiſtens, non jam a gravante crudo apparatu, ſed ab ejusdem ventriculi laxitate aucta provenit; hinc aromatica, roborantia, cortex rhabarbaro junctus, amaricantia reliqua pulchre conveniunt.

METHODUS DEORSUM EVACUANS.

Quarta methodus eſt curandi febres, quæ *purgantia* exhibet.

Oportunitas purgans exhibendi eadem eſt, quam de emetico exhibendo ſtatuimus, eandem ob rationem

Indicantur purgantia in illis febribus intermittentibus, atque eo tempore, ubi crudus apparatus non in ventriculo, ſed in inteſtininis hoſpitat, turgetque. Id quod apparet ex abdomine tumido, doloribus colicis levioribus, mictu frequenti, parca urina, crocea, profunde flava, ſedimento lateritio, ſudoribus nocturnis fœtidis, alvo dura, aut exiguis, ſed frequentibus, ac biliofis, glutinoſis, olidisque dejectionibus moleſta.

Pur-

Purgans omnium citiſſime agens ſal amarum eſt, aut aqua laxativa viennenſis ſale quodam medio armata.

Subinde autem ad curandas febres intermittentes, purgantibus lenibus, ſalinis per epicraſin dandis opus eſt. e. g. ex rheo, amarindis, caſſia &c. Ita febres puerorum intermittentes vix unquam ſecure curantur ſine purgantibus ex roborantium claſſe deſumptis. Puerorum enim febres vix non ſemper ex infarctu abdominis ac meſenterii oriuntur. Congeſtio glutinoſa mucoſaque ipſorum inteſtina obſidet, glandulas meſenterii obſtruit, uti & vaſa lymphatica lacteosque canales inquinat, hincque lentor humorum nutritiorum, defectus nutritionis, ſive morbus, atrophia dictus, naſcitur. Conveniunt hoc in caſu leniſſima ſolventia, uti ſyrupus mannatus, ſyrupus cichorei cum rheo, addito ſale aliquo medio; infuſum rhei a *Petro Forreſto*, a *Baglivio*, a *Lazaro Riverio* ſummopere laudatur. Sapones in aquis appropriatis ſoluti, frictiones primo lenes, dein fortiores cum unguento de althæa, unguento nervino &c. mire conveniunt. His cortex præmature exhibitus atrohpiam accelerat, & obſtructiones reddit graviores.

Febres intermittentes verminoſorum pariter purgantibus anthelminticis, & leniter ſimul roborantibus debellantur. Qui contra vermes & febrim verminoſam pugnat, is meminiſſe debet, ſe incidere mucoſa, nidumque glutinoſum vermium ſolvere, & expurgare per alvum debere. Ad ultimam demum futuram muci & vermium geneſin roborantibus præpedire.

Huc etiam pertinent clysmata alvum ciendi cauſſa. Nam clyſteres ad levandam paroxysmorum atrociam, ubi copioſi hiatus aut borborygmi, aut ardores abdominis, aut dolores in centro meſenterii, circa vertebras lumbares, aut anguſtiæ in præcordiis, (quæ ſudorem ſæpe impediunt, ſunt inſigniter proficui. Item in ventriculi ſymptomatibus, ſemper una vel altera ante paroxysmum hora clyſteres injiciendi ſunt, & ſic operantur cum euphoria ægri. Non autem ſolum minui, ſed profligari etiam febres enematum uſu, docent obſervata. *Sydenham*, uti ſupra dictum eſt, beneficio clyſteris per triduum quatriduumve in apyrexia adhibiti, tertianas vernales a ſe nonnunquam curatas fuiſſe narrat.

Nocent vero purgantia 1) in illis febribus intermittentibus, ubi cruda materies non in inteſtinis, ſed in ventriculo, & in locis

cum

cum ventriculo communicantibus ſtabulatur; tunc enim emeticum convenit. 2) in febribus, ubi nihil amplius, aut parum ſolummodo materiæ alienæ adeſt, & ubi paroxysmus ſolummodo ob debilitatem ſyſtematis gaſtrici identidem recurrit. 3) nocent purgantia in febribus quibusdam vernalibus, quæ aliquid phlogiſtici habent; exhibito enim purgante tales febres intermittentes ſubinflammatoriæ in continuas tranſeunt, & in inflammatorias.

METHODUS PRÆVERTENS.

Sexta methodus eſt methodus *prævertens*, quæ duplici modo intermittentes ſubinde ſanat, aut enim ante tempus legitimi paroxysmi artificialis quidam paroxysmus excitatur, fomite febrili per ſudores eliminato; aut aliam in nervis diſpoſitionem inducit, quam quæ febri favet. Utriusque modi quædam exempla videamus.

Indicant autem præ cæteris diaphoreticorum uſum

1) *Perſpiratio ſuppreſſa*, ſi febrim vel excitavit, vel fovet augetque. 2) *Epidemica conſtitutio* ab humido frigore atmoſphæræ. 3) *Endemicæ febres* in locis humidis, *frigi-*

 dis.

dis. 4) *Typus præſertim tertianarum*; licet quotidianæ & quartanæ prrinde hac methodo quandoque profligari ſe patiantur. 5) *Febribus motus pertinaces*, a vigore priſtino nil remittentes. Hos enim diaphoretica medicamenta ſenſim enervant ac elidunt: ſiquidem febrilcs motus ingruente acceſſione a peripheria corporis introrſum propagantur; ii vero, quos diaphoretica cient, agunt ab intraneis verſus peripheriam corporis, proinde febrilibus illis e diametro opponit. Si ergo diaphoretici cum febrilibus in idem incidant tempus, vel hi illis ſunt majores, & tunc ſaltem pro parte eliduntur ita, ut diaphoreſi, ſequentibus periodis repetita, tandem aliquando ex toto aboleantur; vel vero æquales ambo erunt, & tunc nec diaphoſis, nec febris contingit; vel ſi illius motus prævaleant febrilibus, ſudor febrim impediet. *a*)

a) *Tralles* de uſu opii Sect. II. C. a. §. 3. p. 65.

Atque hoc illud eſt, quod alii dicunt: frigus febrile impedire, ac proinde ipſum inſultum. Cui medendi methodo *Oeſterdik Schacht* *a*) tantum tribuit, ut iudicarit, vix aliquid certius tutiusque intermittentium paroxysmum præcavere, quam ſi dato paullo ante eum ſu-

ſudorifero, frigus febrile infringas, quo & tota febris ſubigi obſervatur.

a) Inſtitut. med. pract. C. VII. §. 34.

Methodus autem tutiſſima diaphoreſin provocandi a *Swietenio a*) eſt expoſita.

1) Toto apyrexiæ tempore æger omni hora diaphoretici cujuspiam infuſi unam vel alteram unciam haurire debet calide, ut hoc liquore corpus probe repleatur, humoresque diluantur. Quare ante invaſionis tempus ad minimum libræ quatuor infuſi haurire oportet.

2) Duabus vel tribus horis ante imminentem febrem æger lecto teneatur, ſtragulisque bene coopertus omni quadrante hora eandem, ut prius, infuſi doſin calide ingerat, ut ſudor erumpat; quod ut certius eveniat, etiam

3) Mixtura aliqua diaphoretica efficax uſurpatur, cum opii admixti quantitate ea, quæ non faciat narcoſin, ſed partitis vicibus ſumpta turbas in nervis ſecuturas præpediat, quæ in paroxysmo adeſſe ſolent. Sumat æger omni hora vel bihorio hujus miſturæ unciam dimidiam ſuperepoto infuſo. Sudor hinc ſæpe largiſſimus oboritur.

4) Pergitur in horum omnium uſu, donec duæ horæ ultra illud tempus, quo inſultus venire ſolet, elabantur. Quodſi prima vice non illico acceſſio impeditur, repetantur omnia ſequentibus diebus, donec tollatur febris.

In tertianis febribus raro fallit hæc methodus, inquit *Swietenius*, imo etiam quandoque & quartanæ ſic curatæ fuerunt, quod luculento exemplo ſenis octogenarii, a graviſſima quartana hoc modo liberati, confirmat. *Senac b*) Accidit autem, ut omnibus in hac methodo ex aſſe præſtitis, ſudor nihilominus nullus provocari queat, quo in caſu ſuadet *Heuermann c*), ut frictiones corporis pannis calidis aliquo ante paroxyſmum tempore ſimul inſtituantur, quibus eruptio ſudoris procuratur, ut id manifeſte expertus eſt binis in ægris *Illuſtr. L. B. de Störck. d*)

a) Comment. ad aph. 761.
b) l. c. p. 4.
c) Beobacht. p. 21.
d) Annus Med. II. p. 161.

Alia diaphoretica exhibendi methodus *Sydenhamo a*) placuit, in eo a priori diverſa, quod & catahartica, & opium cum diaphoreticis ægro propinentur, non ſolum ad ſudores movendos, ſed motus febriles omni

ra-

ratione enervandos ac perturbandos, quod ſic peragitur.

1) Æger in lecto ſtragulis undique exacte contegitur, quatuor circiter horis ante adventum paroxysmi, &

2) Sudorifero potu, uti priore in methodo, corpus repletur, usque ad ſudorem: hoc jam oborto

3) Cathartici doſis datur in hauſtu cardiaco opiato (*Sydenham* dedit pilulas cochii major. ℈ ij in miſturæ ex aquæ vitæ libra I. theriac. Androm. unc. ij. croci anglici drachma I concinnatæ, uncia una.) quo facto

4) Sudor foveatur continuus, donec horæ aliquot ultra illud tempus, quo invaſio incipere conſuevit, elabantur. Intereaque temporis

5) Sollicite ſe æger muniat, dum inter ſudandum ad alvum ponendam forte urgetur, ne a frigida aura ſudor ſupprimatur.

Hac ſane metbodo, inquit *Sydenhamus*, intermittentes autumnales tertianas bene multas depuli, necdum præſtantiorem aliam experiri his annis mihi licuit.

a) *Sydenham* Op. Sect. I. C. 5. §. 46.

Opium, omnium narcoticorum efficaciſſimum, virtute paroxysmum febrilem præver-

ten-

tente eminet. Exemplum adducam e *Wedelio. a*) Novimus, ait ille, ſtudioſum ex recidiva tertianarum, & quidem ſimplici tertiana in duplicem commutata, qui nullo ſpecifico antifebrili curari poterat; donec tandem tres pilulas ex Laudano opiato propinaret *Rolfinkius*, quibus ſumptis indormiit patiens. Forte expergefactus leviter bis inhorruit; calor emanſit penitus, neque ulla amplius ſequentibus diebus ἐπισημασία febrilis ſeſe prodebat, quæ a prandio utplurimum ſeſe manifeſtabat antea. „ Opium autem non ſolum nervos obtundendo, ſed ſudores quoque movendo potenter *b*) imminenti acceſſioni obicem ponit.

a) Diſſ. de opio. Cap. 12.
b) *Tralles* de uſu opii §. 104.

Ut vero eo certior eſſet opii, ait *cel. Trnka a*), in proëgumena febris intermittentis cauſſa obliteranda, elidendisque motibus febrilibus imminentis acceſſionis, efficacia, ſapiens antiquitas ei nervina roborantia jungere conſuevit, ut ſic nervis contra ſecuturæ invaſionis turbas & vires adderentur, & ſenſus minueretur. Atque hinc eſt, quod *theriaca Andromachi*, ex opio & omni pene roborantium nervinorum genere concinnata, tan-

tantum ad febres has profligandas valuerit, ut antidoti nomine a veteribus donaretur, neque præſentius adverſus quartanam remedium tunc noſceretur. „ Equidem plerosque ægrotos, inquit *Galenus b*), quos febris quartana vexabat, hac curandi ratione facile a morbo ad ſanitatem perduxi. Prius evacuabam, imperato vomitu a cœna: die vero ſequenti ſuccum abſynthii pro potu dabam: tum duabus ante invaſionem horis antidotum (*theriacam*) dabam. Atque ita mirandum in modum ſæpe ſum, quod volebam, conſecutus, ut protinus eum, qui ipſam accepiſſet, morbus poſtea non invaderet. "

a) *Cel Trnka* l. c. p. 52.
b) *Galenus* ee theriaca ad *Piſonem*. Cap. 13.

Paroxysmum febrilem pariter prævertunt alterantia medicamenta, tartarus nempe emeticus, aut ipecacuanha refractis doſibus exhibita. Purgantia refracta doſi data, nervis inducere diatheſin febri inimicam, veteribus etiam notum erat. Adoleſcens apud *Riverium a*), ætatis 17 annorum, ſeptembri laborabat duplici tertiana, ejusque octo acceſſiones paſſus erat, antequam ullo remedio uteretur. Secta fuit vena, injecta prius

cly-

clyſtere; poſtridie vero ſumpſit guttæ gummi cum ſpiritu vini & ſulphuris præparati grana decem: non purgatus fuit; ſed tantum leviſſima quadam nauſea, eaque inani affectus eſt. Acceſſio ea die anticipavit, brevior tamen fuit, & nullam aliam deinceps paſſus eſt, atque a morbo immunis fuit. *Heuermann b*) teſtis eſt $\frac{1}{4}$ grani e tartaro emetico, aut grano uno ipecacuanhæ quotidie exhibito, tertianas fuiſſe ſublatas. *Lautter c*) de pulveris *Cornachini* virtute agens, obſervavit, illam etiam, absque quod vel unica vice alvum ſolverit, ſubinde ne ſegnem quidem promoverit, ſuſtuliſſe intermittentes.

a) Cent. III. Obſ. 10.
b) l. c. p. 36.
c) Hiſt. morb. rur. p. 14.

Balnea quoque tum calida, tum frigida hoc ſcopo fuerunt adhibita. Calida ibi præcipue locum habent, ubi diaphoreſi opus eſt, ad frigus febrile prævertendum, cum conſtet, homines in balneum calidum ingreſſos, vehementer ſudare. Eodem igitur tempore in balneum ægro deſcendendum, ibidemque morandum erit, quod in uſu diaphoreticorum fuit definitum. Veteribus maxima hæc febres curandi ratio ſolemnis erat. *Celſus a*)

ante imminentem acceſſionem jubet ægrum in balneum deſcendere, inque eo per tempus horroris febrilis perſiſtere, idque toties iterare, frictionibus quoque inſtitutis, usque dum vel ceſſet febris, vel irrita opera eſſe deprehendatur. Hacque ratione a quartana nonnulli balneorum aquæ dulcis uſu, inſtitutu ſimul ante acceſſionem corporis ad ſudorem usque exercitationem, curati ſunt, *Hoffmanno b*) teſte.

a) *Celſus* L. III. C. 22.
b) Med. rat. ſyſt. Tom. IV. P. S. P. I. C. 2. Obſ. & Caut. §. 3.

Frigida vero balnea, ſi prudenti cum judicio adhibeantur, longe plus quam calida efficaciæ exſerunt, dum contra imprudenter iisdem uſi nonnulli temeritatis pœnas luerunt. Perquam notum eſt, homines e frigido balneo egreſſos, calidoque in lecto repoſitos, potenter ſudare: unde ſi aliquo tempore ante imminentem invaſionem æger frigidæ immerſus, dein lecto componatur tepido, ſudore oborto motus febriles elidet. Atque ſic juvenis viginti annorum, a pertinaci quartana, unica ante inſultum in balneum frigidum immerſione, liberati, meminit *Floyer*. *a*) Mirum vero eſt, ipſo horroris febrilis tempo-

pore in uſum vocata, feliciter ægris ceſſiſſe, ut vidit *Senac b*); mirabilius etiam in calore paroxysmi, ut fecit tertianarius, cujus caſum refert *Cnöffelius c*): hic poſt frigus ſenſit calorem præternaturalem, usque ad delirium. Omnium adſtantium amica ſeponens monita, ſuis demandavit, ut ſe ad transfluentem ibidem fluvium deferant, in quem usque ad collum ſe demiſit, & eousque in aqua iſta ſe continuit, donec omnis calor præternaturalis deſierit. Sæpius iteravit, & priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.

a) *Floyer* pſychrolus. Poſtſcript.
b) l. c. L. III. C. 3. §. 14.
c) Eph. N. C. Dec. I. Ann. 3. Obſ. 211. p. 386.

Hac ratione equidem multi ſanantur; ſed quanto cum diſcrimine iſtud tentetur, binis e caſibus videre licet.

Albrechtus a) novit juvenem viginti ſex annorum, tertiana laborantem, cujus in quarta acceſſione, cum vehementer æſtuaret, lecto relicto, culinam petens, ibidem pedes manusque in aqua gelida ultra horam detinuit, non ſine grato refrigerio. At vix lectum repetiit, cum partes, aquæ prius immerſas, omni motu privatas perſenſit. Febris vero pro eo, ut in apyrexiam deſineret, in malignam con-

continuam tranſiit, per aliquot deinde hebdomades ægrum delirio, diris convulſionibus, aliisque malis vexantem, a qua ægerrime eſt eluctatus. Luctuoſior autem fuit eventus in ægro tertianam paſſo apud *Ballonium b)*, qui hujus aliquot jam inſultus expertus, in paroxysmo novo, frigida e proximo puteo hauſta, nudum corpus a ſervis perfundi juſſit. Aſt brevi poſt aphonus, convulſusque, ſpuma circa os collecta, exſpiravit.

a) Eph. N. C. Dec. II. Ann. 9. Obſ. 78. p. 128.
b) Epid. & ephem. L. II. Conſtitut. æſtiv. A. 1579.

Stragulis, omnique motu corporis vehementiori, quo largi ſudores exprimuntur, eosdem poſſe effectus producere, per ſe manifeſtum eſt.

Huc etiam electricitas pertinet. Exemplum intermittentis febris electricitate curatæ ex *Actis Suecicis cel. Trnka a)* adducit.

a) l. c. p. 617.

Idem etiam eſt effectus *veſicantium atque ſinapismorum*. Aliam ejusdem generis obſervationem ſuppeditat *Collyni a)*; vidit enim quartanam pertinacem, ab uſtione crurum aquæ calidæ ope non prævisa, paullo ante paroxysmum contingente ſanatum. Intermitten-

tis, veſicante curatæ, *D. Monro b*) quoque teſtis eſt.

a) l. c. §. 30.
b) l. c.

Frictiones denique ſpinæ dorſi huc pertinent, aromaticæ, ſtimulantes, quæ in pertinacibus quartanis adeo ſunt efficaces, ut præter corticem peruvianum, vix quidquam aliud illis æquiparari poſſit; ſudorem, dum quandoque omnis abeſt in quartanis, per quem hæ ſolvi deberent, & nulla ſæpe arte elici poteſt, certo provocare ſolent. Methodus has frictiones peragendi eſt iſta: Tota dorſi ſpina pannis laneis calidis valide perfricatur una vel altera hora ante futurum paroxysmum; & deinde penetrabili aramatico linimento inungitur ante focum, corpusque ægri ad ſudorem diſponitur. Pulchrum ſæpe ſucceſſum talis inunctio ſpinæ dorſi in his febribus curandis habet, & aliquoties plerumque repeti debet ante ſequentes paroxysmos, raro enim ſtatim ſanat, licet plerumque levamen adferat. *a*)

a) *Swieten* Comment. ad aph. p. 768.

Nuper *camphora* ſcopo diaphoretico in intermittente febre cum hydrope conjuncta,

uti-

utiliter exhibebatur a *cel. Bang a*): Puer undecim annos natus trimeſtri fere ſpatio laborabat quotidiana, cui per quatuordecim dies junctus erat tumor hydropicus totius corporis; ut lectum conſtanter teneret æger, nec non tincturam aperientem præſcripſi, atque dein obſervato, febrem cum frigore & æſtu ſicco absque inſequenti ſudore adeſſe, pulverem temperantem campheratum ſub æſtu febris ſumendum ordinabam, qua methodo ſudor ſub paroxysmo promovebatur, & intra quatuor dies, tam febris, quam tumor omnis ſublata erant. Hoc exemplo manifeſte probatur, a defectu ſudoris ſub paroxysmis febrilibus hydropem generari poſſe, illumque provocato ſudore curari.

a) *Cel. Bang* Selecta diarii T. II. p. 307.

Cuncta igitur, ut cum *Hænio loquar*, quæ ad hanc methodum retulimus, eo collineant, ut corpus diſponatur ad ſudores, & ut illi maxime eliciantur tunc, quando febrile frigus inſtat, promoveanturque bihorio ultra conſuetum invaſionis tempus. Profuiſſe pluribus hanc ſudoriferam methodum, ultra fatemur; ſed & aut non profuiſſe ſæpe, aut multis nocuiſſe, cum ſcriptores medici notarunt, tam ſæpe vidimus. Prudentia igitur

judicioque in ea adhibenda opus. Si enim febris ſalutaris, ſi homini neceſſaria, ut ſæpe ſit, hac autem arte abigatur; quid non timendum mali a relictis obſtructionibus, ad quas ſolvendas ſalubrem hunc motum naturæ excitaſſet. Nonne juvenem ſic demum hydrope periiſſe, qui hac arte curatus erat, *Foreſtus* memoriæ tradidit? In comperto præterea eſt, homines hac arte febres continuas, ardentes, anomales, malignasque ſibi conſciviſſe. Unde *Bartholinus* monet, conſilium eſſe, quod & non *paucis* profuerit, & nocuerit *multis*. Non ergo cortex peruvianus quod febres imtempeſtive ſuffocet, ſolus accuſandus eſt: violentia deſcriptæ mox methodi non minus cortice intempeſtive curat.

a) Ratio medendi P. XI.

Altera claſſis remediorum ſine ſubſequente manifeſta evacuatione, ſed præcipiti quaſi impetu facto in nervos, febrem tollit. Animi præcipue pathemata vehementiora, ira, terror hanc vim potiſſimum in nervorum ſyſtema exercent. Sed attentio etiam, & præſidentiam animi, diatheſin hanc intermittenti inimicam valent inducere. *Stollio* a) narrat dominus quidam, ſibi quondam febrem intermittentem hac ratione curatam. Habuit ad

men-

menſam hominem jucundum valde, cujus jocis, cum omni mentis adplicatione attenderet, horæ conſueti paroxysmi oblitus eſt; hora interim abiit, & paroxysmus emanſit.

a) *Stoll* Ratio medendi P. IV. p. 446.

Inter illa medicorum ſtratagemata, febres intermittentes prævertendi, certe etiam eſt cœli mutatio nominanda. Homine enim febre intermittente correpto, ad omnia rebelli, illis præcipue in plagis, ubi morbi hi endemici ſunt, nullum certe conſilium præſtantius eſt, quam itineratio in alias terræ plagas.

His perpenſis patet, quare aliqui ſuperſtitionibus vaniſſimis, ac ridiculis exhibitis a paroxysmo fuerint liberati, non quod ſuperſtitio eos vere ſanavit, ſed quod imaginatio, & ſumma in ſuperſtitioſum remedium confidentia, aliam in nervos diſpoſitionem febri contrariam introduxerit. Varia ejusmodi ſuperſtitioſa & anilia contra febres intermittentes remedia *cel. Trnka* a) enarrat.

a) l. c.

Univerſim eſt hæc methodus inſecura, & fallax, nec facile debet adhiberi. Noxia certo eſt, ubicunque primæ adhuc viæ prava

materia laborant; item ubi adſunt obſtructiones abdominalium viſcerum, in debilitatis ſupra modum, quive tonicis indigent; nec etiam convenit in febribus ad phlogoſin accedentibus. Solummodo adhiberi cum cautela poteſt, repurgato jam ſyſtemate gaſtrico, ubi materies febrilis jam attenuata & mobilis facta cum humoribus circumfertur, aut alicubi in corpore ideo hæret, quod vis vitæ languens illam eliminare non valeat, & quod ipſe febrilis motus ſit inſufficiens ad peragendam plenam humorum deſpumationem. Adhiberi poteſt in febribus quartanis rebelliori-bus, ubi aut kermes, aut ſulphur antimonii auratum, aliquot ante paroxysmum horis exhibetur, ſuperbibendo vaſculum infuſi calidi Puntſh, florum ſambuci, tiliæ, acaciæ, foliorum leviſtici, roris marini &c. ubi ſimul ægri totum dorſum unguento aromatico perfricatur, & æger probe contectus ſtragulis ſudorem provocat ante tempus paroxysmi.

METHODUS CONFUNDENS.

Eadem remedia, quæ febriles intermittentes *prævertunt*, easdem quoque *confundunt*,

dunt, ſi ita adhibentur, ut actio horum medicamentorum cum ipſo inchoante frigoris paroxysmo coincidit. At priori periculoſior eſt hæc methodus, cum effectus a junctis remedii & paroxysmi viribus productus, non ſit in medici poteſtate. Cæterum eadem ſunt hanc methodum indicantia, & contraindicantia.

METHODUS NERVINA.

Ad ſeptimam nunc febribus intermittentibus medendi methodum pervenimus, *nervinam* ſcilicet, quæ cauſſam proëgumenam adgreditur, atque peculiarem illam nervorum diſpotionem, qua corpus intermittentem febrem contrahit, penitus delet. „ Cum enim non infrequenter accidat, ait *cel. Trnka a)*, ut occaſionali prima cauſſa, non ſimul occaſionalis ſecunda, ſeu fomes febrilis ex toto deſtruatur, febrisque perſtet; ideo relictis prioribus illis methodis, in præſenti ad alias medico eſt tranſeundum, enitendumque, ut proëgumena morbi hujus cauſſa aboleatur, quem in finem exoritur indicatio nova, ſyſtemati nervoſo talem inducendi mutationem, vi cujus illud ad ſecuturos in poſterum fe-

briles motus concipiendos, reddatur minus aptum, atque ſic futuri paroxysmi arceantur. Duobus id modis obtineri poteſt, videlicet 1) *roborando nervos*, id eſt, tantam ipſis elaſticitatem aut rigititatem, aut quidquid illud ſit, quod motibus morboſis reſiſtit, conciliando, ut ad impulſus febriles, periodice excitari ſolitos, non protinus in ſpasmos cieantur. Quo fit, ut character febrilis elangueſcat pedetentim & aboleatur. 2) *Obtundendo* nervorum ſenſibilitatem, adeo, ut pro dato tempore, qua invaſio contingere ſolet, febrilem illum ſtimulum non percipiant. Remedia utramque indicationis partem explentia *nervina* audiunt, & quidem *roborantia* priora, poſteriora vero narcotica."

a) l. 1. p. 491.

Roborantia medicamenta hic nervina apellantur, quod nervorum ευμεταβλησιαν tollant, & roborato toto corpore, præprimis vero ſyſtemate gaſtrico nervi minus irritabiles ſunt, & ſtimulo morboſo minus obedientes.

Adſtringentia hic locum habent, quia ſunt ſolum *potentiora roborantia*.

Narcotica denuo hic occurrunt qua nervina, non quod roborando agant, & nervos con-

confirmando, ſed ſopiendo, nimiam irritabilitatem ad tempus ſuſpendendo.

De narcoticorum uſu ſupra egi. Adſtringentia cum roborantibus potiſſimum conveniunt. De ſolo itaque cortice peruviano longior ſermo inſtituendus eſt, utpote qui & roborando, & vi ſpecifica intermittentes febres tollit.

A cortice peruviano autem ſalus petenda eſt.

1) In febribus autumnalibus; præmiſſis nempe ſolventibus atque evacuantibus remediis. Obſervatione enim conſtat, in febribus hisce, ablata licet cauſſa excitante, atque fomite febrili excuſſo, alte tamen impreſſam eſſe nervis in novos febriles paroxysmos proclivitatem.

2) Viribus ægri jam nimium fractis. Plurima enim mala conſequuntur, ſi febres tertianæ in longum trahuntur, de quibus poſtea dicetur.

3) Ad corticem confugiendum eſt, ubicunque aut humorum tenuitas, aut ſolidorum laxitas deprehenditur, humorum enim perditio, atque ſolidorum inertia & febris effectus auget, atque ipſam febrem continuo magis fovet.

4) Quotieſcunque grave aliquod periculum imminet, a ſymptomate quodam pernicioſo, e. g. in febrilibus intermittentibus larvatis apoplecticis, vel ſyncopalibus. Hinc *Sydenhamus a*) uſum roborantium in ſenum febribus commendat. „ Si vero febricitantes provectioris ætatis ſint ex utroque morbo (tertianas dico autumnales ac quartanas) non ſolum diuturnitatis, verum etiam ipſius mortis grave periculum imminet. Hic itaque medicum illud agere oportet, ſi neque *cortice peruviano*, nec alia quavis methodo, morbum ſubmovere licuerit, ut naturæ ſaltem ſuppetias ferat, quibus ad negotium ſuum peragendum opus habet. Certe enim in effœtis corporibus, niſi fermentatio cardiacorum, & corroborantis diætæ, ut vini abſynthitis, ac id genus ſimilium beneficio ſuſtineatur, iſtud accidet, ut ægri, incertis ac fruſtaneis paroxysmis devexati debilitentur, atque morbus eousque duret, donec languida prius natura paroxysmo aliquo graviore correpta, ad ebullitionis tempus pertingere non poſſit, adeoque in ipſo exhorreſcentiæ tempore diem ſuum obeant ægroti; imo, ut aliquando viſum eſt, in ipſo, vel primorum paroxysmorum rigore penitus defecerunt, cum exhibi-

to

to cardiaco ſatis forti, ſaltem ad tempus aliquod, ſuſtineri potuiſſent. "

a) *Sydenham* Op. p. 95.

5) Si adhibitis licet ſolventibus evacuantibusque, nihilominus obſtructiones fiant graviores, tumor pedum, crurum, abdominis oëdematoſum accedat; imo ad evacuationes inſtitutas ipſa febris increſcat.

6) Cum hujus remedii ea tantum ſit vis, ut cauſſam illam ignotam, a qua reverſiones paroxysmorum pendent, abolere queat, non vero alteram, quæ materialis eſt, prioremque excitat, aut non ſemper: facile patet fore, ut niſi occaſionalem prius, vel emetica aut purgantia (ſi hæc primas vias inſedit ejusve confinia) vel ſanguinis miſſio, vel ſolventia, vel ſudorifera, vel diuretica (ſi illa in maſſa humorum deliteſcat) ſuſtulerint, a cortice maturius exhibito non tantum febris non ſileat, ſed increſcat etiam; aut ſi conticuerit tantiſper, deinde vel perpetuas recidivas generet, vel alios deteriores, nec raro letales morbos inducat, præcipue ſi error hic in intermittentibus, acceſſiones protractas nimis, aut reduplicatas habentibus, committatur. Nam quotidianas & tertianas duplicatas in principio corticem ferre nolle,

ſæ-

ſæpiſſime vidimus, inquit *Huxhamus a*), donec potiones ſalinæ, convenientia diluentia & attenuantia, atque in nonnullis ſanguinis miſſio, purgantia & vomitoria fuerint adhibita. In ejusmodi profecto febribus intermittentibus citius, quam poſt quatuor aut quinque ad minimum paroxysmos, & poſtquam corporibus, in ſanguinis plethoram valde proclivibus, major aut minor ſanguinis detracta fuit copia, corticem exhibere, nunquam prudentis eſſe medici exiſtimo: & hæc methodus ſpeciatim magis in febribus intermittentibus vernis eſt attendenda.

a) *Huxham* Op. Tom. II. p. 33.

7) Abſit omnis inflammatio interna. Si enim uspiam hujus indicia in intermittente febre adfuerint, a cortice tamdiu abſtinendum erit, ejusque loco antiphlogiſticis utendum, usque dum illa adeo ſit imminuta, ut nullus ſuperſit metus ejusdem per uſum deinde corticis augendæ. Nam quamdiu inflammatio in vigore eſt, hanc dato cortice augeri omniumtemporum obſervata docuerunt. Præterea levior hepatitidis ſpecies aliquando intermittentes autumnales epidemicas comitatur, in quibus ſemper peſſime ceſſit corticis uſus, dum ſublata ſic febre, manebat illud, quod per

fe-

febrem ipſam maturandum, & reſolvendum erat. *a*)

a) *Swieten* l. c. ad aph. p. 767.

7) Obſtructio viſcerum ante febrim præſens, corticis uſum vetat; hæc enim actione febris ſupervenientis, vel per ſe, vel ſolventibus remediis adjunctæ, haud raro feliciſſime reſeratur, dum uſus ſolventium absque febre, diutiſſime etiam uſurpatorum, ſæpe etiam fruſtraneus eſſe ſolet. Accedit quod cum præmature datus cortex febre ſuppreſſa obſtructionibus, ubi nullæ prius aderant, generandis anſam præbeat, ſi hæ jam ante febres præſto fuere, easdem majores pertinacioresque reddere queat, ut id in epidemiis quandoque accidit.

Atque primum de *tempore*, quo cortex eſt exhibendus, diſpiciendum eſt. Sed ipſius etiam corticis peruviani ſelectu opus eſt, ne, ſi effectus a remedio ſperatus non ſequatur, medicum accuſent ægroti. Acerbe utique dolemus, non ſolum alimenta, quorum benigna indole vivimus ſanique perſiſtimus, ſed *medicamina* etiam, quibus omiſſam ſanitatem oporteret reſtituere, mercatorum, quos auri ſemper ſacra fames tenet, inhumanitate quotidie corrumpi, atque pro ingenti pre-

tio

pretio vilia, atque adulterata remedia nobis obtrudi. Neque certe video, tantas fraudes alio modo poſſe ſuffocari, quam ſi *Reges*, humani generis amore ducti, has ſalutares merces, munificentia ſua in publicis emporiis ægrorum in commoda jubeant divendi, pretio haud majori, quam quo ipſi eas redimerint; non enim ſemper & ubique oportet Principes lucrari: atque *maximum* in hac re *lucrum*, *civium ſalus*, cenſendum eſt.

Noſcitur autem eſſe genuinus probusque cortex peruvianus teſte *Werlhof* a), qui maſticatus guſtum acrimonia & amarore multis nauſeoſo, cum aliqua adſtrictione ferit, ſine eximie auſtera acerbitate, ſapore, qui ex acri & amaro, vel ut leniter aromaticus ſit, & peculiari modo aliquantum mucidus; cui ſapori odor etiam exacte reſpondet, ſine corruptionis putridæ notis.

a) *Werlhof* l. c. Sect. III. §. 3.

Etſi cortex peruvianus, ubi primum in uſus adhibebatur, vel in paroxysmo, vel paulo ante, ſolebat exhiberi, tamen gravia ſunt rationum momenta, quæ corticem his temporibus adhibere vetant. Videlicet 1) ad paroxysmum, ante quem, vel in quo ſumitur, tollendum nihil efficit: 2) Vomitu in

pa-

paroxysmo oborto omnis excutitur, quo ſit, ut plus ex illo, non ſine ægrorum delicatiorum incommodo ac nauſea ſit ſumendum; infelices eventus quandoque in hac methodo ſunt obſervati. *Sydenhamus* meminit ægrorum quorundam, qui poſt aſſumptum ejusmodi tempore corticem, in acceſſione extincti ſunt; quod idem monacho cuidam ſeni ac debili, quartana diu vexato accidiſſe in paoxysmo, quo ineunte corticem ſumpſit, narrat *Torti*. Quodſi tamen apyrexia vel nimis eſt brevis, vel etiam nulla, ſed remiſſio tantum præſto ſit, corticemque exhibere ob inſtans periculum oporteat; tunc ipſo etiam in paroxysmo eundem porrigere nihil vetat; non tamen dum ingruit, hoc enim tempore non absque diſcrimine ſumitur, ſed in declinatione ejusdem, id eſt, ut primum remiſſio febris fieri obſervatur.

Cum de *forma* loquor, ſub qua corticem peruvianum contra febres intermittentes exhibere oportet, eam hic intelligo, quæ proprie *forma febrifuga* dicenda eſt, ſeu cortex, ut aiunt, in ſubſtantia. Ad alias enim *accidentales* formas tunc ſolummodo confugimus, ſi aut ægri idyoſincraſia, aut ætas tenera, aut aliud quoddam impedimentum, nudum corticis uſum diſſuadeat. Hinc itaque

que cortex in tenuem pulverem tritus, aut cum ſyrupo aliquo grato in electuarium, aut in bolum effingitur.

Doſin corticis peruviani apyrexia, magnitudine & morbi periculo metimur.

In febribus intermittentibus quotidianis & tertianis duplicatis inter duos paroxyſmos ſex ad minimum drachmas, ad unciam unam præſcribimus. Omni ſemialtera hora ſcilicet drachma una.

In febre tertiana omni trihorio drachma una detur, id eſt, inter utrumque paroxyſmum uncia una.

In intermittentibus quartanis unc. 1 ß tempore apyrexiæ abſumitur.

Univerſim, ſi apyrexia longa ſit, integra tunc remedii ſumendi quantitas v. g. uncia una, in doſes complures ita diſpeſcitur, ut hæ vel exiguæ ſint (v. g. ſingulæ ℈ ij), & e brevioribus intervallis ſumi poſſint, vel maiuſculæ, & ex intervallis longioribus ſumendæ, prout nimirum ægro facilius acciderit. Si vero integritatis tempus eſt contractum, oportebit & ſingula prævia eſſe majora, & eadem poſt breviores moras porrigere. Sunt, qui admodum exiguas doſes præſcribunt, timidiſſimi omnino; ſed & ſuo, & ægrotantium tædio febres eludunt hanc puerilem me-

dii.

dicandi rationem, aut ſopiuntur ſolummodo paulo poſt, quacunque data occaſione denuo erupturæ. Certum enim eſt, corticem febrem non tollere, niſi & *copioſe* & *longe ſimul* poſt ſufflaminatam febrem tempore propinetur.

Etſi autem aſſumptis in primo intercalari ſtadio præbiis paroxysmus non amplius redeat, non tamen de ſuppreſſa nunc omnino febre certi eſſe poſſumus, hinc per aliquot adhuc continuo dies corticis uſus eſt continuandus, quo vires reſtaurantur, & gaſtricum ſyſtema roboratur.

Neceſſitas continuandi corticis ſufflaminata jam febre, at minori tamen quantitate, in febribus autumnalibus per ſe in recidivas proclivioribus, malo endemico, & viribus ægri per frequentes circuitus fractis, atque in laxis potiſſimum corporibus maxime urget. Normam vero, juxta quam hæc prophylactica corticis repetitio ſit exhibenda, *cel. Rahn a)* proponit:

„ Hisce remediis ſuperato morbo, a cortice tamen nondum abſtinendum eſt, aliter morbus, præſertim ſi epidemicus, & autumnalis fuerit, indubitate recrudeſcet. Nullum etiam morbum adeo fallacem eſſe, quotidiana experientia docet; ita ut modo corticem ni-

mis cito omittant ægri, poſtquam deſiiſſe videbatur, inopinato iterum renaſcatur. Has vero recidivas certis quibusdam poſt finitam febrim temporibus, facilius, quam aliis contingere; tertianas nempe, & quotidianas ſpurias ſecundæ hebdomadis a ceſſata remedii continuatione die aliquo, & dein alternis ſemper hebdomadibus, quartanas vero tertia quavis hebdomade facillime redire, obſervamus. Hinc corticis repetitionem poſt intervallum octo vel decem dierum, eamque bis terve iteratam, inculcarunt *Sydenham*, *Morton*, *Torti*, *Werlhof*. Quando nimirum e. g. in tertianis febribus ſufficienter operatus fuerit cortex una ſerie continuatus, ut ad præſentem febrem delendam nihil ſupereſſe, & nihil amplius utilitatis a continuato uſu in corpus redundare viſum ſit, deſinimus primo illum exhibere, & inde per hebdomadem accurate unam quieſcere a medicatione ægrum jubemus; octava vero die, omnibusque per totam hebdomadem ſequentibus) corticis uſum denuo jugiter continuandum injungimus, ad primum vel ſecundum poſterioris hebdomadis diem usque; cum hoc paroxyſtico tempore, præſertim ſi ad duplicis vel multiplicis tertianæ indolis febris tendat, vix ulla dies, aut diei pars a recidivis iſtis motibus omni-

no

no tuta ſit. Si febris tertiana fuerit ſimplex, vel duplex, vulgaris, ſufficere poteſt doſis aliqua ad ſcrupulum unum, aut drachmam dimidiam, aut integram, aut pro morbi indole, ſingulis aut alternis, pro typi ratione, diebus, per totum octiduum exhibita. Optime vero has doſes bihorio circiter ante illud tempus, vel eo ipſo tempore, quo paroxysmus exſpectare debuiſſet, ſi perduraſſet febris, propinamus. Quodſi morbus pertinax & chronicus ex ſui ingenii, aut corporis ratione futurus fuiſſe videatur, vel dictum regimen haud omnino exquiſitum ſperare liceat, vel conſtitutio epidemica ad inducendas febres vergat, eodem deinceps modo iterum iterumque per hebdomadem unam quieſcere, & per alteram medicamentis uti oportet. Eadem curatio in quartanis & quotidianis veris recidivis adhibenda, modo non alterna, ſed tertia quavis hebdomada medela prophylactica adhibeatur; profligata nimirum juſtis corticis doſibus febre, per quatuordecim accurate dies quieſcendum, decimo vero quinto, octavo, & viceſimo primo efficere remedii doſis drachmarum binarum vel trium verſus paroxysmi tempus denuo adminiſtranda, qui nimirum dies in tertia hebdomade iidem, qui in prima paroxyſtici ſunt; eademque cura

iterum iterumque poſt duarum ſemper hebdomadum intervalla repetenda, quoties nimirum aliquid ſub repetito uſu afficit febriculoſi. 'Contingit enim ſæpe numero, ut quum tempore quietis laudatæ nihil incommodi, ſed quotidianum potius ſanitatis incrementum notatum fuerit, per ipſum é contrario medicationis repetitæ tempus moleſtiæ quædam febriculoſæ perſentiantur; quas ægri facile, cum melius ſe melioris hebdomadis tempore habuiſſe reminiſcantur, corticis uſui imputant; ſopientur vero certiſſime illa incommoda, modo ad exitum usque hebdomadis ejus uſu perſeverent; præcipuo enim indicio ſunt illa incommoda, omnino neceſſariam fuiſſe remedii repetitionem, neque ab illa repetita per alternas hebdomadas curatione deſiſtendum eſſe, priusquam alternæ iſtæ morbidorum motuum vices per ſuas hebdomadas redire penitus deſinant. Plerisque interim febribus una repetitio ſufficit. Ubi vero ægri delicatiores, vel febres non regulares fuerint, non tantum, uti dictum eſt, diebus acceſſionis, & paucis ante eam horis, ſed per quatuor fere etiam extra paroxysmi ſolitum tempus intervalla, cortex præbendus eſt. In mixto febrium genere, quod pertinax plerumque eſt, per decemdium quieſcen-

ſcendum, & deinde per ſeptem aut octo dies, aut ultra medicina rurſus adhibenda, ut ſecundæ hebdomadis poſtremum tertiæ prima ſaltem medietas efficace præſidio muniatur.

Dicta hæc certis tantum temporum intervallis interpolata, & hebdomadibus iſtis paroxyſticis reſpondens methodus omnino præferenda eſt illorum corticem continuandi modo, qui nimirum hoc remedium inde a fugata febre ſine exceptione per aliquot adhuc inſequentes dies, hebdomadas, menſes, nullo ſtatuto ad febris temporumque reverſiones minantium proportionem termino, ægris propinant; ſic enim nauſeam ſine fructu creant, & remedium delicatiori ſtomacho grave tandem redditur; interdum, uti ab amaris diu nimis uſurpatis fieri ſolet, appetitus nimius excitatur, unde facile in diæta delinguit convaleſcens; retardatur inſuper, & ſuo ordine turbatur temporarius ille materiæ recidivæ orgasmus, unde illæ ipſæ reverſiones inordinatæ oboriuntur, vel & materia immatura, retardato ultra modum naturalem orgasmo, & imperfecte repreſſo, aliam in corpore induit formam, & morbi metaſchematismum, variasque ægritudines producit. Medicatio ergo continua, etſi diutiſſime uſurpata, & inordinata quævis, etſi copioſiſſimo adhibito

 le-

remedio, reverſionem certo non prohibet, dum illa methodus ſpem plenæ & conſtantis ſanitatis vix ac ne vix quidem fallit. "

a) *Cel. Rahn* Adverſaria medico-practica p. 135. & ſq.

Circa uſum corticis ſequentia adhuc notanda ſunt:

1) Corticem vacuo ventriculo ingeri debere, nec nimis cito ſuperingerenda alimenta eſſe. Cortex enim, utpote difficulter ſubigendus, diu in ventriculo moratur, & raro intra bihorium viribus ventriculi ſubigitur. Hinc antequam binæ ſaltem horæ ab aſſumpto medicamento elapſæ ſint, nemo facile quidquam medicamentorum aſſumat, aut alimentorum.

2) Duabus ſaltem ante paroxysmum horis ultima doſis accipiatur, ut febris ægrum occupet ventriculo jam vacuo; id quoque circa alimenta obſervandum eſt, ut intra tres quatuorve ante paroxysmum horas, æger nil aſſumat; paroxysmus nondum peracta coctione ſuperveniens, gravius affligit, & aſſumptorum vomitum non raro facit, febrisque ipſa hac ratione pertinacior fit.

3) Quæritur, quid circa diætam ſit obſervandum, eo tempore, quo quis cortice utitur? Sunt, qui victu aquoſo, tenui, ex

car-

carni ægros torqueant, eo ipſo tempore, quo cortice peruviano labefactatum corpus reſtaurare ſatagunt. Quemadmodum autem lauta, & ventriculum gravans diæta vim corticis antifebrilem & roborantem enervat, ita e contrario diæta tenuis, emacians, non nutriens ſummopere nocet, & efficit, ut cortex ad roborandum corpus inſufficiens & inefficax ſit.

4) Contingit, ut cortex alvum ſubinde moveat, purgantis ad inſtar. At quamdiu cortex vim purgantem exſerit, tamdiu febrim non tollit. Hoc in caſu plura tentari debent, ne alvus a cortice fluida reddatur. Nam fit ſubinde, ut cortex in graſſum minusque ſubtilem pulverem contritus ventriculum delicatiorem offendat, & vi ſua mechanica ipſum, uti & inteſtina ſtimulet, unde diarrhæa naſcitur. Hoc in caſu præſtat, præſcribere corticem peruvianum ſubtiliſſime pulveriſatum, vel corticem peruvianum *alkoliſatum*, ut loquuntur, qui facilius ſubigitur. Quod ſi vel hac adhibita cautela cortex alvum moveret, doſis corticis in duas, tresve dividi deberet, ut omni media hora pars ſumatur, ita offendens medicamentum ventriculus facilius feret; ſunt, qui juncto aliquo aromate grato eundem facillime ferunt. Si morbi in-

indoles patiatur, poſſet drachma ß Theriacæ Andromachi cum doſi corticis jungi.

Reliquas nunc formas corticem exhibendi recenſebimus, ad quas ſubinde vel inviti debemus confugere, etſi iis formis, ad alias licet ægritudines, ubi maſſam humorum vi corticis tarde ſolummodo & ſucceſſive imbuere volumus, ubi leniſſime & ſenſim roborare volumus, perutilibus, in hac febrim ſufflamandi neceſſitate, nullo modo fidendum ſit. Sunt hæ formæ:

1) *Decoctum* aquoſum inter varias corticis præparationes uſitatiſſimum eſt. paratur ita, ut e. g. uncia una corticis cum aquæ libris duabus ad remanentiam partis dimidiæ coquatur, ac dein coletur, cujus cochlearia duo vel tria repetitis pro re nata vicibus ægro exhibentur. Tale quidem decoctum, ſi rite, & empyreuma probe cavendo præparatur, efficax omnino eſt, multosque ægros tum febribus, tum aliis morbis affectos eo ſanatos fuiſſe non dubitamus. Eundem, quem corticis pulvis, ſaporem habet adſtringentem, amarum & cum ſolutione vitrioli mixtum nigrum ſiſtit colorem; pulvis a decoctione reſiduus palleſcit, nec ſpiritum vini rectificatiſſimum amplius tingit; ex quibus patet, non ſolum gummoſas, ſed etiam reſi-

no-

noſas partes in decocto contineri. Gratius equidem redditur decoctum, ſi non prius colatur, quam refrixerit, ſuadente *Hænio a*), vinum tunc vetus rhenanum & colore & limpiditate æmulatur. Obſervandum vero, ubi refrigeratur decoctum ante colaturam, reſinoſas partes a cæteris ſeparatas præcipitari, & in colatorio remanere, hinc tale decoctum viribus longe debilius eſſe. *b*)

a) *De Hæni.* Rat. med. Tom. XII.
b) *Cel. Rahn* l. c. p. 53.

3) Si cui *infuſum vinoſum* magis placet, tunc *Sydenhami* methodo corticis peruviani unc. ij. in vini rhenani libris ij per viginti quatuor horas macerari poſſunt. Liquor hic per manicam *Hippocratis* ſæpiuſcule trajectus colore limpidus adeo non officit, ut vel delicatulorum palato arrideat, ait *Sydenham a*).

4) *Infuſum aquoſum.* Cum vero decoctiones, & ex his præparata extracta viribus debiliores, ſpirituoſæ vero præparationes non quibusvis in morbis ſecure adhiberi poſſint: tentarunt, an non menſtruis aquoſis ſine vi ignis corticis vires, eadem quantitate, meliusque ſervata partium proportione & combinatione extrahi poſſent. Frigidam itaque aquam adhibuere, quæ lentius & mitius quam

fervida, gummoſas primum & dein harum ope ſimul & reſinoſas ſolveret, retinens ſimul partes volatiles, quæ fervida diſſipantur; præſertim cum obſervaſſent, in genere plantas amaras plures partes aquæ frigidæ communicare, quam fervidæ.

Oſtenderunt ergo experimenta, talis infuſi corticis frigidi & decocti æqualem menſuram, eandem gravitatem ſpecificam habere, eademque phœnomena ad mixtionem cum ſolutione vitrioli in utroque apparere, æqualem ideo quantitatem materiæ ex cortice ſolutæ continere; eo ſaltem diſcrimine, quod in infuſo frigido, quippe pellucido, partes illæ perfectius ſolutæ ſint, quam in decocto turbido; per repetitas infuſiones corticis cum frigida fere omnes partes activas extrahi, non minus quam per decoctiones; & evaporatione iſtarum infuſionum ſimile extractum obtineri, tertiam quartamve partem ponderis corticis exhibiti æquans, præferendum extracto vulgari, cum genuino corticis & ſapore & odore præditum ſit. Brevi autem temporis ſpatio talis extractio frigida ſufficientis efficaciæ obtinetur; ſatis enim ſaturata fit infuſio, uncia una corticis groſſo modo pulveriſati cum aquæ libra una per 24 horas infuſa detineatur; neque neceſſario tantum tem-

po-

poris requiritur; infuſum enim, quod per unicam tantum horam ſuper corticem ſtetit, eadem tum quoad calorem, tum quoad gravitatem ſpecificam, & mixtionem cum ſolutione vitrioli dedit phœnomena; & duplex corticis quantitas ſub frequenti agitatione poſt tria minuta æque forte infuſum præbuit, quam ſimplex poſt plures horas. Tales infuſiones frigidæ, in ægris febribus intermittentibus, & aliis morbis vexatis tentatæ, non minorem vim exercebant, quam cætera corticis præparata; & licet debilius omnino agere viſæ ſunt, quam cortex in ſubſtantia, is tamen defectus majore doſi, unciarum nimirum duarum vel trium facile compenſari poterit *a*)

a) *Cel. Rahn* l. c. p. 55.

5) *Extractum* corticis peruviani, equidem longe minus, quam vel pulvis, vel decoctum ſaporis ingrati poſſidet, ſed virtute ſua utrisque multo eſt inferius; præterea ob earum pretium, non niſi opulentis poteſt præſcribi.

6) Methodus corticem peruvianum in *clysmate* ægris adminiſtrandi ſequens eſt. Videlicet 1) inteſtina uno alterove clysmate ex melle cum ſale gemmæ, vel ſimili prius eluantur, quam cortex injiciatur; ne fœces ibi-

dem

dem hærentes obſtent, quo minus hoc retineri & reſorberi queat. Doſis corticis in enemate ſit tripla, quam quæ ore ſumenda foret, imprimis ſi hæc enemata non debito tempore ab ægris retineantur. 3) Quantitas enematis ne excedat pondus unc. V. aut VI. in adultis, vel unc. I — ij in junioribus, ne mole ſua alvum ſollicitent. 4) Opium addatur, ſi retineri ob naturalem irritabilitatem, vel diarrhæam præſentem nequeant, v. g. pro adultis paretur clysma e corticis peruviani uncia I in aquæ s. q. cum theriacæ ℨ β, vel ſyr. Diacod. ℥ β. Si tamen eodem die clysma reiterare oportet, opii doſis eſt minuenda, ne ſtupor ſequatur.

7) *Epithemata*. Efficaciam corticis peruviani in fomento vel cataplasmate ad regionem ventriculi admoto, in ſe ipſo expertus eſt *Roſenſtein* a) qui anno 1750 incidit in genus febris, quod ſemitertiana audit, habens acceſſionem primo die unam, altera duas. Cum vero haud ita multo ante e mali moris febre dyſſenteria decubuerit, adeo corticem peruvianum eſt averſatus, & adeo exhauſtus ac debilis fuit, nihil ut aſſumere potuerit. Idcirco die tertio mane juſſit pulverem corticis peruviani ad unc. VI. in pultem coctum, in linteo laxo moderate calidum ventriculo

ap-

apponi, & quoties refrigerari cœpit, rurſus celefieri. Febris deſiit, continuatoque per ſeptem dies remedio hocce, vires ac ſanitatem poſt breve ſatis tempus recuperavit autor. *Hannes b*) eundem imitatus, quater in infantibus ſperatum effectum obtinuit.

a) Von Kinderkrankheiten.
b) Brief an *Baldinger* p. 77.

At ſæpe cortex peruvianus ad abigendas febres intermittentes haud ſufficit, ſed aliorum remediorum conſortio opus eſt, ut ſperato effectu potiamur. Univerſim tot dantur corticis *connubia*, quod in curandis febribus intermittentibus obſervantur *coindicata*. Horum præcipua breviter recenſebimus.

1) *Mead.* cortici exiguam rhabarbari doſin junxit, eo ſcopo, ut alvus non quidem diarrhæica evaderet, attamen libera, aperta, & duas tresve per diem dejectiones faceret. Hæc methodus, utut à quibusdam exploſa, eximia tamen eſt in iis febribus, quæ a crudo apparatu primarum viarum ortæ erant, & emetico ad initium indiguere. Raro enim emeticum morbi fomitem ex integro eliminat; reſtitat aliquid. Hinc rheum alvum leniſſime ducens optime ſociatur cortici. Ita enim fiet, ne quid materiei febrilis reſideat, unde

aut

aut obſtructiones viſcerum abdominalium, aut relapſus oriri poſſent. Credo icterícum illum, aut χλωρον colorem, quem poſt intermittentes, præcipue autumnales conſpicimus, quive aliquibus per omnem omnino vitam manet, ab his bilioſis reliquiis oriri, humores reliquos cutemque tingentibus; id quod hac methodo feliciter præcavemus; obtinemus etenim, ne tanta in febrium relapſus proclivitas ſit, reſtitantem febrilem fomitem continuo leniter evacuando.

2) Alii ſalibus mediis corticem non inepte jungunt, ibi ſcilicet, ubi viſcerum obſtructiones adſunt; febris equidem cortice jugulatur, at febris effectus & ſequelae non ſemper ſanat cortex. Hinc ſolventia ſalina pulchre junguntur.

3) Celebrata magis methodus eſt illorum, qui cortici jungunt ſalem ammoniacum contra quartanas pertinaces. Decoctum avenæ cum cortice peruviano & ſale ammoniaco, ita, ut corticis peruviani uncia I, & ſalis ammoniaci drachmæ ij vel iij in decocti avenæ s. q. quotidie ſumerentur, in difficillimis intermittentibus optime profuiſſe teſtatur *Broklesby a*), ubi cortex aliis modis datus quandoque non ſuffecerat. *Pringle b*) quoque ſalem ammoniacum primis doſibus addere con-

ſue-

ſuevit. Flores quoque ſalis ammoniaci apte junguntur cortici, eo modo, quo *Stollius c)* reſtituendas poſt morbum bilioſum vires ventriculi præſcripſerat.

Rec. Flor. ſal. ammon. martial.
Pulv. cort. peruv.
Elect. diateſſ. āā. ſcrup. I.
M.
Fiat bolus, & fiant tales Nro. VI.
Sumat omni quarta hora bolum.

a) *Brocklesby* von Feldkrankheiten. p. 178.
b) *Pringle* von den Krankheiten der Armeen. p. 144.
c) *Stoll* Rat. med. P. II. p. 296.

4) Cortex peruvianus in febribus verminoſis optime jungitur aliis anthelminticis, roborantibus, leniter purgantibus, & ipſe optimum anthelminticum exiſtens. Datur tunc cortex cum vitriolo martis arte parato, cum myrrha, aloë, ſemine ſantonico, radicis valerianæ ſylveſtris, rheo, jalappa; mixtura ex aqua ſtillatitia tanacet. unc. V. cort. peruv. unc. β. vitrioli martis drachm. ij. rad. jalapp. ſcrup. ij. Sumantur omni trihorio duo cochlearia; non raro non infeliciter fuit exhibita.

5)

5) Sunt alii, qui corticem cum *chamomilla* jungunt, pariter multum olim ob vim ſuam febrifugam laudata. Mixtura ex aqua florum chamomillæ unc. VI. cortic. peruv. unc. β. ſal. ammon. & extract. flor. chamomillæ unc. 1. β. Omni bihorio detur cochlear, plurimum ſæpe profuit.

6) Sunt, qui corticem una cum *limatura ferri* contra rebelles quartanas exhibent. At hæc methodus in magna ſolum ſyſtematis gaſtrici laxitate convenit, nulla bilioſa ſaburra præſente. Mars bilioſis non convenit; hi enim patiuntur ructus acidos, nauſeas, vomiturītiones, indeque multum gravantur.

7) Connubium corticis cum *opio* magna ſæpe cum utilitate eſt adhibitum. Vel ipſe *Hippocrates* in difficili quartana poſt iteratas purgationes dedit hyoſcyamum cum Mandrogora, ſucco laſeris & trifolio ex vino potanda. Hujus etiam loci eſt *caſtorei* cum cortice peruviano miſcela, cujus a gr. ij ad ſingulas corticis peruviani doſes adjectis, magnam efficaciam ſe miratum fuiſſe refert *Senac*.

8) *Mercurialia* pariter utiliſſime, imo neceſſario nonnunquam cortici peruviano adduntur. 1) in febre a labe ſyphilitica originem trahente; 2) ſolvente ſcopo, ſi omnia alia ſolventia ſunt inefficacia, in profundis

vi-

viſcerum præſertim obſtructionibus; 3) vermes necandi ſcopo, qui febrem vel produxerunt, vel exaſperant, vel curari impediunt.

CURA CONVALESCENTIUM EX INTERMITTENTIBUS.

Conditiones autem, sub quibus cortex tuto continuandus eſt poſt febrim, ſunt: 1) Alvus facilis; qui enim obſtructi ſunt, gravantur, calent, anxii ſunt. 2) Deſit pondus præcordiorum, id enim notat, protracto uſu corticis peruviani viſcerum obſtructiones eſſe metuendas. 3) Reſpiratio ſit facilis. 4) Oris ſapor emendatus ſit, non pravus. 5) Euphoria. Sub his conditionibus prodeſt cortex; ſecus aut *omitti* iterum, aut cum *coindicato* remedio conjungi debet.

Cæterum in cura convaleſcentiæ, ut in omni alio morbo acuto, excitantes cauſſæ debent vitari, ita etiam præcipue poſt febrem intermittentem cortice ſuperatam.

Maxima autem in cura convaleſcentium ex febribus intermittentibus ratio habenda eſt perſpirationis. *a*) Hac enim neglecta a recidivæ metu nunquam es liber. Inde eſt,

quod in noſocomiis convaleſcentes lævibus tecti veſtibus, ſi veſperi per ambulacra obambulent, auræ frigidæ ſe exponentes, in recidivas incidant, ſæpe in febrem quandam erraticam, ſaltem in diſpoſitionem quandam febriculoſam, quæ in plenam manifeſtamque febrem erumpit, omiſſo poſt aliquot dies cortice. Hinc patet, haud omni ratione deſtitui vulgi opinionem, qua hominem pontem quemdam tranſcendentem, recidivam pati credunt, cum aquæ perſpirabili ſuppreſſo revocare febrem facillime poſſint.

Toto autem convaleſcentiæ tempore dies imprimis illi ſedulo attendendi ſunt, quibus cæterum paroxysmus ſolebat recurrere; ſi enim recidivantium conſiderentur hiſtoriæ, patet recidivæ diem fere ſemper incidere in diem febris, ſi tamdiu continuaſſet; quia ſcilicet character febrilis nervis fortiter impreſſus illo præcipue tempore ſe manifeſtat, quo cæterum aucto ſtimulo in febrem usque erupit.

Poſt febres intermittentes diuturniores ægri multum debilitati deprehenduntur; his amaricantia, leviter roborantia, victus analepticus ex jure carnium, carnibus juniorum animalium aſſatis, piſcibus tenerioribus aſſis, ſucco citri vel aurantiorum aſperſis conveniunt; panis bene fermentatus, vel & bis

coctus

coctus auſtero vino madidus, potus parcus, ſed meracus apprime ſuadenda ſunt. Ubi autem horum uſu debitum robur non rediret, vinum ex cortice peruviano, limatura martis paratum conducit; quibus vinoſa diſplicent, pilulæ ex limatura martis, aut ex extracto corticis peruviani, maſtiche, multum commendantur. Poſt febres autumnales præcipue debita bonæ bilis copia deficit, hinc roborantibus addenda ſunt amara, uti absynthium, centaurium minus, radix Helenii, gentianæ, myrrha, ex quibus cum cinnamomo vina medicata facile parantur, quorum unciæ ij—iij ter de die vacuo ventriculo ſunt ingerendæ; quodſi ſpirituoſa non ferant ægri, elixirium ſtomachicum temperatum, extracta amara vino ſoluta, indicatiſſimum habent locum; ubi præ inertia nullum fere ex chylopoëticis viſceribus ſuo funguntur officio, frictiones jejuno homine per totum abdomen factæ panis aſperis laneis, fumo ſtyracis, benzoë, & ſuccini penetratis, optatum habent effectum.

a) *Cl. Bidiſchini* Diſſ. de convaleſcentia. *Diſſertationes medicæ Vindobonenſes.* Vol. III.

Corporis motum quod attinet, nil eſſe perniciofius, ait *Sydenhamus*, quam ſi ægri

lecto affixi maneant; & longa obſervatio docuit *Mortonum a)*, corticem in aëre aprico libere verſantibus, atque ſolitis muniis fungentibus propinatum, ſcopum certius attingere, quam ſi æger intra lecti cancellos incarceretur. Hæc forſan ratio eſt, cur in Monialibus intra ſua clauſtra concluſis, in nobilibus in otio urbano cum victus lautitia degentibus minus ſalubrem Chinæ Chinæ uſum *Ramazzini b)*; efficaciorem vero in agricolis & laborioſis *Darluc c)* obſervaverint; cur etiam in exercitu equites citius, quam pedites convaluerint.

a) *Morton* Op. Tom. II. P. 101.
b) *Ramazzini* Op. p. 125.
c) *Darluc* Journal de Med. Tom. XVI.
d) *Grainger* Hiſt. febr. anom. Batav.

Ultimo tandem frequentiſſimi in convaleſcentia ex intermittentibus ſymptomatis mentio hic eſt facienda, *diabetis* ſcilicet, quam *Whytt a)* in aliis etiam reconvaleſcentibus obſervavit, peculiariter autem a *cel. Strack b)* pro critica evacuatione reliquiarum febrilium habetur.

a) *Wyhtt* ſämmtliche Werke.
b) *Cel. Strack* de febribus intermittentibus.

CA-

CANONES PROGNOSTICI.

Sex canones prognoſticos ſtatuit *Stollius*, ex quibus univerſim facilitatem aut difficilitatem, aut etiam periculum in febribus intermittentibus ſperes, metuasve.

De *primo* canone §. 459. id generatim eſt monendum, prognoſin hanc in febribus intermittentibus quam maxime regularibus, eſſe veriſſimam. Nam obſervatæ ſunt intermittentium Epidemiæ, ubi mitius erat frigoris ſtadium, morbo tamen per ſe admodum vehementi. At pernicioſæ utique erant febres, & jam mitiori ſuo frigore continuarum potius, quam intermittentium ſuſpicionem injiebant.

2) Febris intermittens ex ipſa ſua natura ad recidivas proclivior eſt, ut etiam ſublato fomite, conſuetudinario quodam modo paroxysmus febrilis redeat. Inde neceſſitas protractioris corticis peruviani uſus.

3) Quo ſæpius æger in febrim intermittentem recidit, eo major metus eſt, ne aut viſcera abdominalia jam ante febris intermittentis exortum adfuerint, aut durante hac ipſa febre acceſſerint. In utroque caſu non tam de febre ſufflamminanda, quam de referandis viſcerum obſtructionibus cogitandum eſt.

4) Typi pertinacia, uti in omnibus intermittentibus, ita in quartanis præcipue mali ominis eſt.

5) Stadium frigoris protractum, cum valido horrore, ſenibus eſſe inimicum, ſupra adnotavimus; ſed ipſum etiam caloris ſtadium apoplectica morte ſeniculos ferire, experientia utique conſtat.

6) Deficiente uno alterove ſtadio, metus ſubeſt, grave alicubi impedimentum latere, quod regularis febris intermittentis evolutionem ſupprimit, eamque febrem ſerius ocyus in continuam eſſe abituram.

FEBRIUM INTERMITTENTIUM LARVATARUM ET PERNICIOSARUM CURA.

Juvat præmittere tum *larvatarum*, tum etiam *pernicioſarum* febrium ſigna. Signum ergo primum febris larvatæ eſt ipſe *paroxysmus*. Si quis enim inopinanter morbo quocunque corripiatur, qui una alterave elapſa hora denuo ſolvitur, pariter præter omnem exſpectationem, prudens ſuſpicio eſt, morbum denuo rediturum, & ad febres pertinere larvatas. Etenim contra experientiam eſt, ut

ut quis ſubito & graviter ægrotet, & exiguo elapſo tempore pariter ſubito ſanus fit. Hoc ſignum ſervit ad dignoſcendam morbi naturam tunc imprimis, ubi morbi ejusmodi periodici epidemice graſſantur.

Secundum ſignum eſt recurſus morbi ſtato tempore. At vero cum febris larvata non ſemper ad notiores ſolemnioresque febrium ſpecies pertineat, ad quotidianas, tertianas, quartanas; cumque morbi quidam periodici omni quinto die, omni ſeptimo, octavo, quin & ſerius invadant, facile contingit, ut nexum periodorum non obſervemus, duosque diſtinctos, ab ſe invicem non pendentes morbos, utrumque paroxysmum habeamus.

Tertium ſignum eſt Epidemia eorundem morborum periodicorum, vel ſaltem Epidemia febrium intermittentium; ſi enim conſtitutio quædam generalis vigeat, omnes reliqui morbi de illius indole plus minusve participabunt.

Quartum ſignum eſt urina cum ſedimento lateritio. Hoc ſigno *Richardus Morton* præcipue uſus eſt, uti & *Sydenhamus*, quamvis in febribus vernalibus hæc urina cum lateritio ſuo ſedimento non ſemper conſpiciatur. Hoc ſigno opus præcipue habemus, ubi febris larvata, ſive morbus periodice recur-

rens nullum certum determinatumque typum obſervat, ſed vago more incertisque intervallis recurrit.

Quæritur jam, ubinam ſedes primaria morborum periodice recurrentium ſit? Innumeræ obſervationes docent, horum morborum ſedem in primis viis quærendam eſſe. Patet primo ex eo, quod, ut plurimæ febres ſolo evacuante remedio feliciter curantur, ita & plurimi morbi periodici hac ſola per alvum & vomitum evacuatione profligantur. 2) Patet etiam ex eo, quod cortice peruviano feliciter hi morbi cedant; cortex autem peruvianus tam exiguo tempore in totius corporis ſyſtema agere poſſe non videatur, hinc tollit tam intermittentes febres, quam morbos periodicos, ſolummodo agendo in primas vias. Cortex ſcopo roborante in laxitate totius corporis datus longo uſurpari tempore debet, antequam vim ejus ſalutiferam experiamur. At vero contra febres intermittentes, contra morbos periodicos exhibitus, intra 24 horas futurum paroxysmum præpedit, quo tam exiguo tempore nullibi ferme, niſi in primis viis, vires ſuas poterat exſerere.

Id hoc loco notandum, dari quosdam periodicos morbos, qui de febrium natura non participant, at aliam longe originem,

quam

quam quæ hic explicabatur, agnoſcunt. Sic ob tophos, excreſcentias oſſeas in cranio, periodice recurrens epilepſia legitur. Vitium autem hoc primarum viarum, quod febribus intermittentibus, & morbis periodicis, ſive febribus larvatis geneſin ſuam præbet, plerumque eſt crudus apparatus, & bilioſa ſaburra; at qua ratione fit, ut cauſſa eadem in uno homine hunc, in alio alium producat morbum, eadem cauſſa longo & *continuato tempore* in præcordiis hoſpitando, morbos tamen non *continuatos* producat, ſed intermittentes, ut cauſſa in primis viis morata in partibus longe diſſitis, effectus longe diſparatos generet! Hic phyſiologi & anotomici ad hypotheſes meras confugere debent, nec ulla ſpes affulget eruendæ veritatis. Per obſervationes ſolummodo conſtat, ſyſtema gaſtricum mirum cum omni reliquo corpore, ſed præcipue cum cerebro, cum animæ functionibus conſenſum habere. Philoſophamur acutiſſime, reconditas veritates detegimus, hilaritate, morum ſuavitate, lepore & ſalibus integrum amicorum conventum exhileramus, modo ventriculus noſter bene concoquat, modo hypochondria libera ſint; at moroſi ſumus, nobis ipſis & aliis graves, ad profundiores ſpeculationes inepti, ſi paucu-

lum alienæ pravæ materiæ, ſi bilis copioſior, ſi alimentum ſolito indigeſtibilius, ſi vel *flatus* tantum intra abdomen concluſus, ventriculum & inteſtina offendat.

In febribus *larvatis periculoſis* duplex medendi methodus obtinet. In paroxysmo nempe ſymptoma perniciosum eſt auferendum; *extra paroxysmum* autem cura ad febrem ipſam, pro varia ejus indole, eſt dirigenda. Sed quasdam hic de febrium harum pernicioſarum ſignis atque natura animadverſiones præmittere oportet.

Illæ autem febres intermittentes, quæ ſub malignarum proteiformium, pernicioſarum nomine occurrunt, quæ nimirum communi malignarum febrium more, citius multo, quam morbi tempus poſtulat, vires præcipue animales ſubito proſternunt, & poſt unam alteramve acceſſionem mitiorem derepente, vel mox ab initio, habitum continuarum inducunt, & graviſſima ſibi adjungunt mala, quæ mortem minitantur, & niſi febris cito tolli poſſit, certam ſequente uno alterove paroxysmo inferunt. Quorum quidem malignorum ſymptomatum varias diverſitates obſervarunt medici, ita ut in aliis ſoporem lethargicum, apoplexiam, in aliis motus convulſivos epilepticos, vel tuſſes & aſthmata moleſtiſſima,

sy-

ſyncopes vel vehementes cardialgias, vomitus, alvi fluxus, vel ſudores præcoces frigidos colliquativos, vel algores producant. In eo cæterum conveniunt, quod epidemice graſſantur, & cum omnibus aliis epidemicis morbis commune illud habent, quod in ejusdem licet Epidemiæ decurſu, diverſis tamen annis, & diverſis ejusdem anni temporibus, diverſos quoque mores atque ſymptomata adfectare ſolent; id vero peculiare præ cunctis popularibus febribus habeant, quod cum illæ non ſolum pro diverſitate conſtitutionis, & locorum, ſed in cujusdam etiam epidemiæ curſu iidem quoad habitum & mores in eadem plaga graſſantes morbi, multo tamen diverſam hoc, quam alio tempore, medelam poſtulent; hæ contra febres intermittentes, vel de earum genere remittentes epidemicæ, quocunque colore ubicunque ludant, quorumcunque vel perniciofiſſimorum morborum larvam inducant, naturamque ſimulent, eodem tamen plane atque unico remedio, peruviano nempe cortice, certo certius jugulentur; cujus veritatis infallibiles teſtes *Sydenhamum*, *Mortonum*, *Tortum*, *Werlhofium*, *Huxhamum*, *Medicum*, *Lautterum*, nominaſſe ſufficit, qui innumeros fere ægros ab imminente ex ejusmodi malignis febribus certiſſimo interitu,

unius

unius corticis ope, feliciſſime atque certiſſime vindicarunt.

Ipſe vero modus, quo febres hæ perniciosæ evadunt, diverſus eſt. Nunc enim ſubito ſub graviſſimorum dictorum morborum ſpecie tragœdiam inchoant, & niſi cito & efficaciter ſuccuratur, ad lethalem finem perducunt. Alias vero benignarum, tertianarum, quartanarum more incipiunt, & prægreſſis mitioribus aliquot paroxysmis grave quoddam & periculoſum ſymptoma ſibi adſociant, quod inſequente paroxysmo ita augetur, ut e. g. cardialgia in validam ſyncopen, coma in carum mutetur, ægrumque vel ſtatim trucidet, vel in maximum ſaltem vitæ periculum conjiciat, futura exacerbatione ſine dubio pertimendum. Cum igitur ſummum atque certiſſimum iſtarum febrium periculum ſit, plurimum intereſt, ut non ſolum æque certa methodus habeatur, ſed etiam ſigna certiſſima ex traditis hujus febribus obſervationibus habeantur, quibus vel inſtantem morbum mature dignoſcas, antequam ad ſummum vigorem evectus inopinate in mortem tranſeat.

Varia vero talia ſigna traduntur, quibus ſtatim primo acceſſu periculum divinare poſſumus; qualia ſunt, ſi æger ſub ſtatu talium fe-

febrium epidemico in priorum benigniorum paroxyſmo aliquo debilis, ſopitus præter naturam, aut cardialgia affectus fuerit, ſed quæ cum febris affectione declinarint, remanente tamen per apyrexiam inſolita capitis ſtupiditate; ſi urinæ craſſæ, coloris intenſi, ſubfuſci, lixivii nigri, innatante quaſi pinguedine aliqua, valde fœtentes, cum frequenti micturitione, & dyſuria aut ſtranguria prodeuntis; vel ſanguis e vena eductus variegatus, putridus cum ſero copioſiſſimo, aut in liguamen ſpiſſus, aut cruſtam pleuriticam coagulatus; dolores & tenſiones hypochondriorum, cæteraque ſigna conſpiciantur, quæ hepar ac præſertim cerebrum male affecta indicent; quæ quidem ſigna, utut in quibusdam ſpeciebus frequenter occurrant, recte tamen monente *Lauttero*, pathognomonica non ſunt; cum tum urinæ ſedimentum lateritium, vel alia enarrata ex urina ſigna quandoque deſiderentur; ſigna vero ex ſanguine, cujus miſſio non ſemper indicetur, raro haberi poſſint. Saniſſimi interdum, neque prægreſſa incongrua medela neglecti, neque hepate, nec cerebro affecti, dominante epidemia corripiantur; & quidem interdum ſubito, absque præcedente intermittentis aut remittentis cujusdam febris periodo, in quibusdam æque

per-

perfecta, ac in reliquis intermittentibus acceſſionem ſequatur, ita, ut finito paroxysmo nullam omnino moleſtiam, nullum ſtuporem, cardialgiam, diarrhæam ægri conquerantur, reſpiratione ſana, vigentibus viribus & appetitu, ut non ſolum de lecto ſurgant, ſed etiam negotia ſua commode peragant, ſecunda vero acceſſione mortem oppetunt inexſpectatam. Cum tandem & ſporadice occurrant, vel in quodam ægro periculum inchoet Epidemia; ita ut ſigna iſta omnino aut deeſſe, aut fallere poſſint.

Optima igitur *Huxhami* norma *a*), qui potiſſimum ad morbi decurſum diligenter advertit animum, quem ſi periodicum una, alterave vice deprehendit, cortice quantocyus uſus eſt, non exſpectato urinæ ſigno. Si itaque, quod plerumque obtinet, malignæ hæ febres, decurſa aliquoties ſua periodo, intermittentis, vel remittentis cujusdam typum manifeſto prodiderunt, & quamvis mites primis in acceſſionibus, atque ſecuræ viſæ, tertio vero, quarto, quintove paroxysmo, inſolitum quoddam ac grave ſymptoma, ſoporem profundiorem, cardialgiam vehementem, animi deliquium, vomitum, aut diarrhæam frequentem, & vires notabiliter proſternentem, ſecum habeant; ſive penitus cum febre illud

ſymp-

ſymptoma ceſſet, atque intermittat; ſeu ſedimentum lateritium gerat lotium, ſeu minus; ſive epidemica talis eo tempore dominetur conſtitutio, ſive ſporadice incedant; minime amplius feriandum eſt, ſed illico apyrexiæ aut remiſſionis intervallo ſufficiens peruviani corticis quantitas exhibenda, ne ægro, ſequente exacerbatione erecto, turpe illud medici ſuperſit effugium, quis hoc crediſſet!

a) *Huxham* Op. Tom. II. p. 34.

Si vero morbus ſtatim cum quodam graviorum illorum ſymptomatum incipiat, neque vel ex urinæ ſigno, vel epidemica conſtitutione ulla perniciofæ intermittentis eſſe poteſt ſuſpicio, morbum quidem, prout apparet, aggrediemur; dum autem die ſequenti, tertia, quarta, iſta ſymptomata exacerbantur, denuo remittant, aut aboleantur, nil eſt, quod amplius exſpectemus, cum ſufficiens ratio adſit, propter quam febrim ex periodico decurſu jam manifeſtam, cortice quantocyus expugnemus. Verum ſi morbi prima vel altera die facies obſcura eſſet, urina vero lateritium velut ſedimentum, aut ſimilis dominetur epidemia, merito oriri oportet ſuſpicio tectæ ejusmodi ac malignæ febris, cortice ſine mora jugulandæ. Denique ſi homo ſanus

an-

antea apoplexia forti ſubito ſternatur, aut enormi cholera, viribus & humoribus paucis horis exhauriatur, die vero altera ſolvantur hæc ſymptomata; ut nonniſi loquelæ difficultas, & ſtupor ſenſuum remaneat aliquis, vel in poſteriore caſu moderata alvi dejectio, dummodo in caſu ſimili ſignum illud urinæ adſit, vel perniciofarum intermittentium remittentiumve tum regnet epidemia, malignam ejusmodi ſubeſſe febrim, omnino eſt quod ſuſpicemur, ideoque non exſpectando paroxysmum futurum, corticem ſine mora exhibeamus.

Omnium vero minime in hisce febribus periculoſis longas exſpectationes ſibi proponere, & de febre tantiſper ſibi reliquenda cogitare licet, cum præſens certumque periculum certiſſimam æque ac citiſſimam medelam expoſcat, nimisque procraſtinato corticis uſu, non ægrotum, ſed reſolutos ejus cineres curandos ſuſciperes. Quotquot itaque adeſſent ſive plenitudinis, ſive impuritatum, ſive congeſtionum, ſive obſtructionum ſigna, medelæ evacuantis, aperientis præmiſſionem alias indicantia, ad ea niſi ſatis longum usque ad proximum paroxysmum ſuperſit temporis ſpatium, minime attendendum, ne per infructuoſa molimina potiori indicationi explen-

plendæ locus tempusve præripiatur; ſed his unice præmiſſis, quæ corticis virtutem certiorem adhuc reddere poſſunt, atque impedimenta, quæ forſan ejus efficaciam minuerent, & retardarent, removent, ſtatim ad corticis uſum accedendum eſt, proportionem æquam inter effectus velocitatem, magnitudinem, ſpecificique medicamenti doſin, repetitionem, continuationem rite obſervantes; ſic enim certiſſime periculum amovebitur ſequens, lethalis forte paroxysmus ſuffocabitur, ita ut nunc nil ſuperſit, quam ut & reliquas conditiones, ſive febris cauſſæ, ſive potius effectus ſint, ſuis quosque remediis adgredi, atque remediorum ab ipſis indicatorum prudenti poſtmiſſione, & ulterius continuato corticis uſu ægrum a futura recidiva ſecurum reddere, priſtinæque ſanitati reſtituere conemur. Qua vero ratione cortex in hisce febribus adminiſtrari debeat; quænam ipſi præmitti, aut adjungi, quæ cura palliativa in ipſo paroxysmo, quænam poſt febrim feliciter debellatam poſtmitti debeant; id ex ægroti propria conditione, & ſymptomatum illorum pernicioſorum natura pendebit.

Ubi ergo ad ægrum ſoporoſa vel apoplectica febre decumbentem vocaremur, in ipſo quidem paroxysmo non alia remedia ad-

hiberi debent, quam quæ præſens periculum amoliri, ſummum virium animalium oppreſſionis gradum arcere, criſin acceſſionis felicem promovere, efficaciſſime valent. Venæſectione pro plethoræ, orgasmi, & virium ratione, plethoram minuere, inflammationes præpedire; clysmatibus alvum aperientibus, ſcarificationibus, hirudinibus orgasmum ſanguinis, & congeſtionem particularem verſus caput minuere; remediis temperantibus, acidis tempus & ſitim fallere, calorem & putredinem moderari; frictionibus, ſinapismis, veſicatoriis, aliisque excitantibus & epiſpaticis ægrum ſopore aut apoplexia jam oppreſſum excitare ſtudebimus, atque cum his ſimilibusque tentaminibus tempori paroxysmum tandem ſinientem rem relinquemus.

Exacto feliciter paroxysmo, reſpiciemus ad ſequentis acceſſionis metuendam ferociam, magnitudinem & certitudinem imminentis periculi; neque tempus corticis uſui opportunum per alia molimina præripi patiemur, niſi ea omnino videantur neceſſaria. Ubi itaque evacuatio videretur neceſſaria, & intervallum inter acceſſiones ſatis longum ita ut poſt indicatam illam evacuationem ſufficiens nihilominus corticis quantitas ad ſupprimendum ſequentem febris inſultum ingeri poſ-

poſſit, eam mox inſtituemus. Venæ ſectione ſive antea omiſſa, ſive ex indicatione repetenda ſanguinis copiam vel orgasmum minuemus; ſi quam per ſuperiora purgationem indicarent turgentis colluviei ſigna, ipſam emetico leni, antimoniali præſertim, quod natura inclinante, per inferiora ſimul blande ſordes educit, velociter, & tuto ſatis operatur, peragemus; dein alvum, ubi id requiritur, vel enematibus ſolis, vel pulpa tamarindorum lactis ſero ſoluta, vel ſalibus mediis, vel ſimili remedio minime irritante, refrigerante, neque alvum deinde adſtrictam relinquente, ſolvemus.

Finita dictorum remediorum operatione ad largiorem nunc corticis uſum accedere non cunctabimur; ita ut drachmam integram pulveris quavis tertia, vel altera, vel quavis hora ægro præbeamus, eo quidem modo, quo minime nauſeoſo deglutire ipſum queat; ſic tamen, ut uncia, vel etiam plus in intervallo hocce aſſumpta inſtantem paroxysmum vel penitus avertat, vel certe periculum amoliatur. Ubi enim vel minores, quam ſatis eſt, pulveris corticis doſes, vel debiliores illius præparationes propinarentur, idem forſan accideret, quod in benignis, ut nimirum inſtans paroxysmus præcedente fortior exci-

retur, qui vero in hisce febribus certum periculum induceret, ægrumque necaret, qui veroſimiliter majoribus doſibus ſervari potuiſſet.

Redeunte vero paroxysmo leviore, iterum non niſi quæ temperant, derivant, excitant innocue, & reficiunt, ægro propinabimus, excretiones per ſudores, alvum, urinam, cæterasque vias, quæ naturæ inſtauratæ viribus expeditius e corpore ſuccedere ſolent, juſto in moderamine conſervabimus; declinante acceſſione, vel ſi nulla redierit, ſtatim uſum corticis continuabimus, nullo alio interpoſito remedio: & innotabilium paroxysmorum intervallis, tertia, vel quarta quavis hora doſin repetemus, neque prius deſiſtemus, quam paroxysmi fugati ſint penitus, atque æger adjuvante optima diæta, moderato corporis in aëre libero motu, appetitum, vires, functiones omnes recuperaverit, quæ utplurimum inter unius, ſaltem alterius hebdomadis decurſum evenient. Imminui doſis periculo ſuperato poteſt, non facile tamen infra ſcrupulum unum, vel drachmam dimidiam, vel quantum fere æquipollet decocti aut infuſi ter, quater, quinquies, & ultra ſi fieri poteſt, quotidie aſſumendum eſt. Pauciora enim vel minora præbia haud cer-

certum ſpondent ſucceſſum, ſed repullulantis febris violentioris repreſſæ pabulo tempus fortaſſe largientur, dum ex adverſo amplior pau'o doſis nihil omnino metuendum relinquit.

Ubi vero poſt prioris, ad quem vocamur acceſſionis finem intervallum nimis breve, vel inſtans periculum nimis urgens videderetur ad præmittendam qualemcunque evacuationem, neque etiam veræ indicationes eam expoſcant, tunc ſecurius eam prorſus omittimus, & finito paroxysmo, vel manifeſta apparente remiſſione ſtatim corticem exhibemus. Si vero manifeſta ſordium ſigna evacuationem alvinam omnino neceſſariam indicare viderentur, & ob ipſam perpetuam nauſeam, vomituritiones, cortex vix retineatur, ſed continuo vomitu rejiciatur, tempus tamen interponendo purganti denegetur, optime corticem cum purgantibus miſcemus, ita, ut e. g. unciam ſalis cujusdam cathartici, & unciam dimidiam corticis in quatuor partes æquales dividamus, & omni bihorio talem doſin exhibeamus, quibus plerumque proximus paroxysmus mitigatur, ſaltem perfectior intermiſſio inducitur, nauſea & vomitus ſedantur, ita, ut hoc demum intervallo cortex purus ad perfectam curationem usque ingeri poſſit.

Si vero adhuc impuritatum ſigna adeſſent, ſecure ſublata tunc febre, cortici purgans quoddam coindicatum interponi poteſt, neque ulla exinde noxa pertimeſcenda, cum potius, obſervatis modo ſupra traditis regulis, per poſtpoſita evacuantia his in caſibus, ubi magna bilioſorum humorum copia in primis viis ſtagnat, recidivæ optime præcaveantur; ſtatim vero poſt purgantis abſolutam operationem, corticem repetere neceſſe eſt.

Si vero cortex ob ægri nauſeam, deglutitionis vim ſublatam, vomitus pertinaciter perdurantes, ſufficiente quantitate ingeri poſſit, maximo cum ſucceſſu clysmata chinata per juſta intervalla repetita ſubſtituuntur. His enim virum ſexagenario majorem febre apoplectica larvata correptum, omnia interna remedia reſpuentem, integræ ſanitati reſtituit *L. B. de Quarin.* Ubi autem clysmata non ſufficerent febri ſuffocandæ, & qualescunque corporis præparationes, mixtiones, correctiones, eodem, quo pulvis modo, vomitu iterum rejicerentur, ex Archiatri *Hoffmanni*, *Lindii* conſilio opii vires tentari poterunt; cum enim prior ægro ſoporoſa febre laboranti, corticem continuo renuenti, clysmatibus chinatis ſine effectu adhibitis, una ante novam acceſſionem hora laudani opiati

por-

portionem porrexiſſet, rediit quidem febris, ſed ſine ſopore, poſt hunc vero paroxysmum cortex retinebatur, ita, ut febris non amplius rediret. *a*)

a) *Wirtenſohn* Diſſ. Opium vires cordis debilitare &c. *Harderovici* 1755.

Quodſi autem ſolutio prioris paroxysmi adeo fuit imperfecta, ut vix aliqua notabilis acceſſionis intercederet remiſſio, ita, ut ægri comate ſommolento, vel vigili, deliriis obruti, attoniti, hemiplectici jaceant, nihil utilitatis a febrifugi remedii uſu exſpectari poterit; ſed æger quaſi ex aliis cauſſis ejusmodi ſymptomate afflictus eſſet, cujus certum antidoton non datur, notis artis auxiliis tractandus, ut forſan eorum ope poſt unius alteriusve paroxysmi tempus remiſſio magis manifeſta apparens antifebrili remedio locum faciat. Reſpiciendum itaque potiſſimum, an ſanguineæ inflammatoriæ, an potius bilioſæ, an demum nervoſæ magis indolis affectio ſit; & in priori caſu morbus venæ ſectionibus etiam repetitis, attenuantibus, antiphlogiſticis; in altero bilioſam, putridam colluviem corrigentibus, evacuantibus; in poſteriori antiſpasmodicis nobilioribus, morbus ad manifeſtiorem remiſſionem usque pal-

liandus erit. In poſtremo hoc caſu occurrente locus præſertim erit remedio illi, ab *Illuſtr. Hoffmanno*, laudano nimirum opiato, quod ad quadraginta & ultra usque guttas exhibitum, aliquoties in ægris febre ſopore detentis, qui neque venæ ſectionibus, neque vomitoriis, neque aliis internis externisve ſtimulantibus, excitari poterant, adeo felicis efficaciæ invenit, ut pulſus debilis antea nunc fortior, reſpiratio liberarior evaſerit, ſpaſtica partium ſtrictura relaxata, ſoporque intra horam diſſipatus fuerit; & ex quo ne minima noxa pertimeſcenda, modo æſtus ille & ſanguinis orgasmus, deliria, ſopores, non materialem, ſed in ſola nervorum perturbatione poſitam cauſſam habeant.

Integre reſtituto ægro, nondum tamen fidendum penitus eſt indiciis, cum ad reverſionem adeo pronæ ſint iſtæ febres, vel per hebdomadas paroxyſticas modo ſupra tradito corticis uſus continuandus eſt, ita, ut quotidie per totam hebdomadam quinquies aut ſexies ſcrupulum unum, aut drachmam dimidiam æger aſſumat, rationem ſemper ducendo tum facilitatis vel difficultatis, qua febris prægreſſa fugari potuit, tum ſtatus epidemici; & hæc prophylactica cura altera, imo tertia vice repetenda, donec nullus motus

mor-

morboſus ſupereſſe amplius obſervetur, & medicamentum de diſpoſitione febrili plenam victoriam reportaverit.

Quæ vero ſymptomata a curata febre reſtant, ea pro cauſſarum diverſitate tractanda ſunt; modo enim ſordium ventralium a febre relictarum, vel viſcerum obſtructorum, vel peculiaris humorum cacochymiæ progenies ſunt, & aperientibus, ſolventibus, evacuantibus optime cedunt; modo febrilis characteris nondum penitus deleti, vel debilitatis ſolidorum per morbi prægreſſi vim, & diuturnitatem inductæ effectus ſunt, & continuato corticis uſu in dies minuuntur, & tandem evaneſcunt.

Hanc de febribus intermittentibus pernicioſis doctrinam aliquot morborum hiſtoriis, quas regnante illa Epidemia Laxenburgenſi Egregius Medicus *Lautter* conſignavit, confirmatam videmus.

HISTORIA MORBI PRIMA.

Tertiana remittens ſimplex cum cataphora.

Vir 50 annorum, lignis in ſylvis Cæſareis cædendis præpoſitus, in oppido Möd-

linga habitans, mole parvus, habitu tenuis, temperiei ſiccæ, & atrabiliariæ, menſe Junio fere medio, A. 1759. tertiana corripitur, quæ circa veſperam, vix notabili cum frigore ingreſſa, calorem mox intenſum, tuſſim crebram, vomitum difficilem, dolorem capitis, & artuum vehementem producunt. Nocte jam ingruente, & in vigore paroxysmi vocatus, ſymptomata enarrata potu refrigerante, emolliente, & epiſpaſtico acri plantis pedum admoto lenire, & mali cauſſam indagare contendi; quam dum lautas epulas pridie celebratas eſſe comperi, leve ex ipecacuanha emeticum præſcripſi, die altera ſumendum.

Unde aliquoties vomuit cum euphoria; febris tamen, quæ non in totum receſſerat, die tertia æquali cum moleſtia, ac diuturnitate exacerbata eſt. Hac iterum remittente dedi mixturam aperientem, reſolventem, ſalibus neutris probe imprægnatam, & infuſum florum chamomillæ copioſe deſuper bibendum. Verum exacerbatio non ſolum non levior, ſed & absque manifeſta προφάσι periculoſis jam ſymptomatis ſtipata reverſa eſt. Calor enim totius corporis vere mordax, delirium fere aſſiduum, palpante ſimul, & ſe jactitante ægro, validus linguæ & artuum tremor,

mor, ſubſultus tendinum, & inchoatæ quaſi in facie convulſiones, terribile, & protractius longe reddiderunt caloris ſtadium, quod ſudor excepit profuſus, diuque manans, ægroto interim profundo veluti apoplectico ſopore demerſo, ita, ut non niſi fortioribus agitationibus ſigna ſenſuum & loquelæ proderet. Febri hac ſequenti mane remittente æger quoque evigilavit, ſed debilis admodum, & ſenſibus hebes. Hic jam minime amplius feriandum eſſe ratus, optimi corticis unciam integram, in duodecim pulverum doſes diviſam, ante metuendi acceſſus reditum ægro juſſi ingerere. Reducem quidem paroxysmum is inde expertus eſt, nullo tamen graviore ſymptomate ſtipatum, & multo breviorem; quare in uſu corticis ulterius inſiſtere imperavi. Sanitatem proinde perfectam brevi recuperavit, & adhucdum tenet memoratus vir, qui aliam corticis unciam, me ſuadente per octiduum, ab ultima febris umbra, recidivæ præcavendæ ergo, rurſus devoravit.

HI-

HISTORIA MORBI SECUNDA.

Tertiana remittens duplicata cum ſyncope.

Balneatoris uxor 32 annorum, mobilis admodum ſyſtematis mulier, menſe Julio epidemica remittente febre corripitur; quæ levioribus aliquot paroxysmis prægreſſis, in duplicatam tertianam abiit, truculentis ſymptomatibus ſtipatam. Agmen duxerunt oſcitationes, ac pandiculationes aliquæ; ſequebatur ſubitanea, & omnimoda virium dejectio; paſſio tunc hiſtorica ægram dire vexavit, ac quaſi jugulavit; inde animi deliquium veram in ſyncopen cum frigido in facie ſudore; pulſus aſphyxia deſinens. Poſt multas refocillationes per cardiaca antihyſterica, extus intusque adminiſtrata, atque ita peſſima hæc mala, aliquoties alternantia, efficiebant frigoris ſtadium, ſane horrendum. Hoc excepit calor vehemens cum delirio fere continuo, & inquietudine; ſudor tandem immoderatus, & per horas protractus, cum ſenſu concuſſorum quaſi oſſium, immani cephalalgia paroxysmum finivit. Plurima hic nychtemeri parte, & ut ita dicam, in mortis confinio transacta, debiliſſima mulier, fere artus movere impotens, vix ſomno brevi, ac jure car-

carnium ſe reficere poterat, cum alterius tertianæ exacerbatio ingrueret, a qua eas in anguſtias conjecta eſt, ut extrema unctione eam munire neceſſe fuerit. Tum ego in opem vocatus, inveni ægram viribus pene exhauſtam, facie ſquallidam, cum pulſu celeri, parvo, debiliſſimo, ut vere aſſeverare queam, unam, aut plurimum binas exacerbationes ſimiles, ſalva vita illam ſuſtinere nequaquam potuiſſe. Probe igitur examinata morbi hiſtoria, & viſo lateritio urinæ ſedimento, de pernicioſiſſimæ febris epidemicæ præſentia abunde convictus, corticis unciam, ſi fieri poſſet, integram cum remediis cardiacis & nervinis in electuariam redactam, exiguo remiſſionis intervallo ingeri juſſi. Maxima ejus parte abſumpta, acceſſus rediit immaniter mutatus. Quippe in frigoris ſtadio nec paſſio hyſterica orta eſt, nec animi deliquium; calor quoque & capitis dolor mitiores fuere; mens ſemper conſtitit, & moderatus ſudor cito finem impoſuit. Quare corticis uſui diligenter inſiſtens ægra, libera penitus ab omni febre, ac ægritudine evaſit. Vires ſolum diæta analeptica, opitulantibus remediis roborantibus, reſarciendæ erant. Et ab illo tempore, valetudinaria alias, ſolida ſanitate gaviſa eſt.

HI-

HISTORIA MORBI TERTIA.

Tertiana remittens ſyncopalis.

Sexagenaria mulier, infantum cuſtos, aliquot jam diebus febre remittente laborans, non tamen certis periodis exacerbata, uti ſæpius obtigit, & nauſea, ructibusque nidoroſis vexata, vomitorium primo, hoc vero parum adjuta, purgans a balneatore ſumpſit. Verum 18 Auguſti circa quintam veſpertinam extra lectum hærens, ſubito, vel minimo præcedente horrore, viribus omnibus deſtituta, animo linguitur; cardiacis refecta, & in lectum delata, immanem cardiæ ac præcordiorum oppreſſionem atque ardorem, anxietates intolerabiles, non niſi aſſiduo gemitu, ejulatu, & pugni proprii ad ea loca impulſione manifeſtare potuit, doloris & oppreſſionis acerbitate vocem fere penitus cohibente. Vomuit quoque ſæpius, malo tamen inde potius adaucto, quam imminuto. Tum ego accerſitus pulſum deprehendi celerem, debiliſſimum, inæqualem; reſpirationem parvam, luctuoſam; faciem fere cadaveroſam. Cataplasma emollientiſſimum epigaſtrico appoſui; interne cardiaca, neurotica, paregorica propinavi. Nihil inde levami-

minis, præter vomitus inhibitionem percepit; imo, frigido erumpente ſudore, reſpiratione vix non omnino intercepta, & pulſu longo tempore intermittente, extrema unctione communiri debuit. At morbi jam proxima, poſt extremos octo fere horarum labores, ardorem, oppreſſionemque cardiæ minui, læta jam voce exclamat, & reliquam noctis partem quietior, vigil tamen tranſigit. Dum ſummo mane accederem, longe minus de præcordiorum anxietatibus conquerebatur; vivida magis, & rubella erat facies; reſpiratio facilis, & magna, pulſus fortis, plenus, celer; ſitis vehemens; lingua ſicca, alba; dolor capitis validus, paucis; oppoſita erat adeo rerum facies, ut niſi exacte ægrotantem noviſſem, aliam hodie me ægram inviſere omnino crediſiſſem. Nihil certe hucusque de morbi indole concludere licuit; quare nitroſa & refrigerentia interim exhibui, veſperi ſudor multus toto ex corpore emanavit; febris inde plurimum ceſſavit; & tranquille ægra noctu dormivit. Mane inſequenti ægra parum febricitavit, & nihil fere niſi anxietates præcordiorum leviores, lenem dolorem capitis, & magnam virium jacturam conqueſta eſt. Urina rubri admodum coloris fuit, ſine ullo ſedimento nubeculam

ſo-

ſolum in medio ſuſpenſam gerens. Suſpicionem quidem febris epidemicæ movere poterant, celeris adeo, & notabilis morbi remiſſio, analogia ſymptomatum, epidemia febrium ſimilium tunc temporis dominans; urina tamen lateritio ſedimine deſtituta, ſignum hucusque in hujusmodi febribus evidens a me obſervatum, ſuſpendit animum, at ſimul turpiter fefellit. Veſperi enim 20 Auguſto, vires denuo ſubitaneæ corruunt, anima linguitur ægra, ardor, & præcordiorum oppreſſio, omniaque priora ſymptomata vehementiſſime recrudeſcunt, & octo rurſum horis in extremas anguſtias (quidquid allaboraverim) ægram conjiciunt; tum remittentibus his, calor, ſitis, dolor capitis validiſſime tota die ſæviunt, copioſo demum ſudore plurimum imminuti. Nullus jam dubio locus ſupererat, pernicioſiſſimam febrem popularem hanc ludere tragædiam, ita, ut extremi illi aliquot horarum labores, quos leipothymia frequens, cardialgia enormis, anxietates ſummæ cum pulſus aſphyxia, ſudore frigido &c. conſtituebant, ſtadium illud, frigoris alias nuncupatum, efficerent; caloris vero ſtadium tunc inſecutum, ſummo cum impetu diem integram abſumeret, adeoque tota exacerbatio triginta fere horis perduraret. Hac igi-

tur remittente, quamvis urina necdum poneret lateritium ſedimen, corticem illico exhibere cœpi; media ejus uncia aſſumpta.

HISTORIA MORBI QUARTA.

Tertiana remittens cum vehementi cholera.

Servus viginti aliquot annorum medio menſe Julio tertiana laborabat. Ob moleſtias ac frequentes nauſeas purgans ſumit a balneatore, unde egregie purgatur; rediit tamen exacerbatio, & leviori cholera ſtipata. Poſteaquam ſic peccans biliosa materia ſurſum deorſumque probe fuit exterminata, febris cum omni morbo diſparuit. 19 Auguſti mane exigua horripilatione prægreſſa, graves adeo anxietates opprimunt præcordia, ut animo deficeret aliquoties; brevi poſt diarrhæa valida exoritur, quæ cum ſubſecuto calore, ſiti, ad veſperas usque tenuit. Paulo melius luce altera ſe habens, de lecto ſurrexit, ac labores ſuos in mundandis ac cibandis equis utcunque peregit, debilis, & alvo ſæpius dejiciens.

21. Auguſti mane, prævio horrore levi, anxietates præcordiorum recurrunt, ac

valide adeo ingraveſcunt, ut veram ſynco-pen iterum iterumque inducerent. Violen-ta ſeqitur cholera, vi cujus non ſolum fre-quentiſſime dejecit, ſed & flavam, porra-ceam bilem primo, dein grumoſum plane ſanguinem crebro evomuit, cum ingenti vi-rium diſpendio. Calor tunc, ſitis, dolor ca-pitis ſe junxerunt. Meam his in anguſtiis implorat opem. Febricitabat impenſe, pul-ſu tamen debili parvo, cum facie lurida, & aſſiduo gemitu. Examinata morbi hiſtoria, cognitaque febre epidemica ex mali decurſu-ſymptomata mitigare interea laboravi. Scu-tum ſtomachicum opiatum epigaſtrico admo-vi, & præter magnam juris carnium copiam, parca, ſed ſæpiſſime repetita doſi ingeſtam, theriacæ Andromachi ſcrupulos binos exhi-bui. Vomitus inde ceſſavit, ſudor multus promanavit, & nox ſomno placido transacta eſt. Die altera nonniſi de debilitate enormi, & leviori cephalalgia conquerebatur, parum febricitans; oris autem labia puſtulis mino-ribus, pus verum continentibus, denſiſſime erant referta. Quæ res ſecurum adeo reddi-dit ægrum, ut nullo modo ad ſumenda ultra remedia (corticem quippe propinare conſti-tui) perſuaderi potuerit, licet vel ipſam ne-cem redeunte ſimili paroxysmo illi præſagi-

rem.

rem. Et ecce præter omnem ſpem, imo de ſalute ægri me vel maxime anxio, febre prorſus immunis, ſolo jure carnium, & vino modico dein uſus, paucorum dierum ſpatio, ſanitatem integram recuperat. Unicus hic eſt, qui ſingulari naturæ beneficio ſine cortice, ſine omni febrifugo, tam gravi febre celeriter adeo liberatus eſt; & absque omni recidiva vitam vivit hodiedum ſaniſſimam. An biliofa ſaburra, quæ circa præcordia hærens, materialem febris cauſſam conſtituebat, ſurſum deorſumque evacuata reliqua, morboſa materia criticis quaſi oris efflorefcentiis penitus eliminata, febris ideo neceſſario evaneſcere debuit? Hæc profecto phœnomeni videtur eſſe ratio; neque opiato hic effectus tribuendus; vix duas tertias enim grani opii partes æquabat illud; niſi forte ex parte, quod theriaca Andromachi, utpote ſtimulans admodum remedium, motum humorum magis augendo, ac vires naturæ excitando, hanc in producendis criticis illis oris puſtulis aliquantum adjuverit.

Pertractavimus hucusque diverſas ad curandas febres intermittentes methodos. At non raro eadem regnante epidemia, in eodem ægro per morbi decurſum variæ indica-

tiones, ut itaque *octava* ſit methodus ex prioribus ſcilicet compoſita.

Symptomata autem, quæ in febribus intermittentibus peculiarem nonnunquam curationem requirunt, ex *doctrina de methodo indirecta* deſumi debent.

MORBI FEBRIUM INTERMITTENTIUM POSTHUMI.

Præcipuos nunc effectus conſecutivos febrium intermittentium videamus, cum non raro ob pertinaciam ſuam, atque etiam periculum curam peculiarem ſibi poſcant.

1) Frequentiſſimæ febrium intermittentium reliquiæ obſtructiones viſcerum abdominalium obſervantur, quas non ſemper perverſa medendi methodus, ſed ipſa febris indoles non raro producit.

Triplicis generis tumorum, ait *Hænius* *a*) a febre intermittente oriundorum, naturam diſtinguimus. Primum genus eorum, qui in ventre, nec raro in hypochondrio lævo naſcuntur: nullius illius diſcriminis, imo ejus genii potius, ut eosdem etiam exoptaret *Sydenham.* Sic enim agens de febribus intermittentibus Ann. 1661—64. Obſervatu non in-

indignum eſt, quod cum febres autumnales teneram ætatem diu cruciarint, nulla ſpes ſit easdem abigendi, donec abdominis regio, circa lienem præcipue, indurari, atque tumefieri incœperit; iisdem enim gradibus, quibus hoc ſymptoma ſuperaverit, febris etiam fugam meditatur. Neque ex meliori aliquo prognoſtico morbum hunc brevi abiturum dixeris, quam ſi ſedula animadverſione ſuboriri hoc ſymptoma perſpexeris. Idem porro in crurum tumoribus obtinet, qui in adultis aliquando ſpectantur. „ Hoc ſic ſe habere, ut *Sydenham* monuit, quivis experiuntur practici; quodque de tenera ætate, quoad ventris tumorem ſcribit, & adulta habet ætas, ſed crurum oëdema frequentius. Vix curamus hæc; utpote ſponte ad reditum virium, aut levi frictione diſparentia.

Alterum genus eſt, quod viſcera vel thoracis, vel ventris, altis infarcit obſtructionibus, quibus debellandis multo ſæpe labore, multoque eſt opus tempore; præcipue quando icterus, quando hydrops, quando rachitis adjunxerit ſe. Huc mirifice curam ſolventem ex ſaturato decocto graminis, taraxaci, cum ſale medio conferre, experientia plurimum conſtat. Quodſi oppilatione viſcerum maximam partem ſoluta, ſuperſtes

ægrum debilitas tenet, aquæ marte divites, mars ipſe, ejusque varia præparata, cortex peruvianus &c. hanc debilitatem emendant; potiſſimum ſi aëris, ſi corporis motus, ſi frictiones, eundem collineant in ſcopum.

Tertium tumorum ejusmodi genus illud eſt, quod neglectis in principio febribus, natisve a febre obſtructionibus, materiem irreſolubilem, tam alte infixam in viſceribus habet, ut in ſcirrhos hæc cancrosque abeant; ut icterus niger, isque irreſolubilis, naſcatur, ut hydrops, ſive ſimpliciter aſcites, ſive cyſticus adjungat ſe; unde demum ab intermittente febre via ad lentam ſternitur calamitoſamque ſæpe mortem.

Hoc in ſtatu nihil vitam, tolerabiliorem alias, diuturnioremque, reddere calamitoſiorem, brevioremque conſuevit, quam multus evacuantium uſus, vel enim nihil, vel parum, vel multum operabuntur. Si multum vires prorſus demunt, quandoque in indomabilem cauſſam non agunt; interea, dum humores minus pravos, qui vitam ſuſtentaſſent, attenuando corrumpant. Si vix, aut nihil hæc remedia evacuent, diſſolvunt humores tamen, cauſſamque hydropis adaugent.

a) De Haen. ratio medendi P. XI. p. 7.

2) Hydrops frequens eſt intermittentium pediſſequus, neque mirum, ſeu obſtructiones viſcerum conſideremus poſt intermittentes reſiduas, ſeu partium ſolidarum atoniam, & facilem ſeri a ſanguine ſeceſſum. Hydrothoracem ab intermittente lethalem obſervavit *cel. Bang a*). „ Hydrops poſt febrem intermittentem diuturnam, cujus paroxysmi nullum ſudorem ſecum ducere ſolebant, exortus fuit, omnes extremitates occupans cum tuſſi ſicca, diſpnœa notabili ſub motu, decubitu tamen tolerabili in omni regione corporis: morbus hic ſex hebdomadum ſpatio in noſocomio duravit, nulla medicina juvandus, verum magis magisque adauctus, verſus finem cum enormi junctus anxietate & inquietudine, ſitum horizontalem haud impediens. Aperto cadaveris thorace, largum inveniebatur ſerum utramque cavitatem implens, præſertim pericardium inſignem aquæ copiam continebat; ipſi pulmones quodammodo ſani erant, in abdomine etiam extravaſatum ſerum, pancreas induratum deprehendimus. Nonne defectus ſudoris ſub paroxyſmis febrilibus, hydropis apud ægrotum noſtrum ſubſequentis cauſſa fuiſſet? Vero admodum ſimile videtur, humores ſeroſos, ſi febris e ſanguinis maſſa ſeparatos, & per ſudorem ejicien-

dos, propter ſingularem cutis reſiſtentiam, aut ſpiſſitudinem excernendi in cavitatibus internis effuſos eſſe, ibidemque collectionem hydropicam generaſſe. „ Lethalem quoque ab intermittente quartana ſponte evanida hydropem obſervavit. *b*)

a) *Cel. Bang* ſelecta diarii Tom. I. p. 161.
b) Idem p. 24.

3) Maniæ quandam ſpeciem poſt intermittentes diuturniores, quartanas præſertim, notavit *Sydenhamus a*); malum hoc non animis exaltata, & vivida ſanguinis craſi producitur, ſed a vappido potius ejusdem ſtatu, & humorum keneangeia. Purgationes, evacuationes quascunque, venæ ſectiones præſertim minime fert; imo poſt evacuationes fortiores adhibitas in miſeram quamdam ſtultititiam degenerat, quæ non niſi cum ipſa ægrorum vita terminatur. Hanc ægritudinem *Sydenhamus* cardiacis, & victu analeptico per aliquot ſeptimanas continuato curabat.

a) *Sydenham* Op. p. 100.

4) *Diabetes*. Nonnunquam accidit, ait *Sydenhamus a*) etſi perquam raro, ut ſenes, qui diu hoc morbo antea laborarunt, ac interea venæ ſectionibus, & catharticis imperiti

fue-

ſuerint mulctati, in *diabetem* incidant, etiam febre jam perfecte fugata. Etenim cum ſanguis eorum abhinc debilitatus, aſſimilandis ſuccis ei illatis prorſus impar reddatur, iidem per vires urinarias crudi adhuc & incocti exitum ſibi quærunt; proindeque pro ingenti urinæ copia, quoties eam reddunt, excreta, ſenſim vires labefactantur, & quaſi ſubſtantia corporis per hanc cloacam exinanitur. In hoc affectu, uti & in omni diabete, ex quacunque προφάσι originem ducat curativæ indicationes ad ſanguinem invigorandum, corroborandumque, ac pariter ad fluxum urinæ præternaturalem refringendum omnino dirigendæ ſunt. "

5) *Fluor albus.* Eadem fere methodo, pergit *Sydenhamus a)*, atque iisdem remediis, contumax iſte & diuturnius adfectus, *fluor* ſcilicet *muliebris* ſanatur, ac diabetes modo dictus: nam utrobique indicationes curativæ eædem ſunt, quantumcunque inter ſe duo hi morbi diffidere videantur.

a) *Sydenham* Op. p. 307.

6) Varii *Polycholiæ* effectus a febribus intermittentibus præmature ſuppreſſis, quotidie obſervantur; idem enim contingit, quod

ſupra de febribus bilioſis inique curatis, monuimus.

7) Ampliſſimum etiam eſt genus ægritudinum, quæ a *debilitate* ortum trahunt, & febre intermittente profligata, in ægris comparent. Huc præcipue *rachitis* pertinet, quæ poſt intermittentes longas, infantes corripit, obſervante *Stollio*. Simile quid *Sydenhamus* animadvertit. „Infantes autem poſt autumnales, tum continuas, tum intermittentes, hectici aliquando fiunt. Ventres eorum inflati, tumentes, ac duri evadunt; ſæpe etiam tuſſis, aliaque tabidorum ſymptomata ſubnaſcuntur, quæ *rachitidem* plane mentiantur.“ *Scorbutus* quoque, utpote debilitatis ſoboles, intermittentes febres non raro ſequitur.

a) *Sydenham* Op. p. 100.

Omnis autem medendi methodus in curandis febrium intermittentium morbis poſthumis, huc redit; 1) ſi hæc ægritudinum genera ab ipſa febris diuturnitate originem trahant, debilitate nempe ſolidarum partium compage, eodem remedio, ac ipſa febris, cortice ſcilicet peruviano facile, & feliciter profligantur; 2) ſi ab iniqua medendi methodo, febris præſertim præmatura ſubflamminatione oriun-

oriuntur, ſuo quodvis malum modo eſt tollendum, atque perſæpe non niſi redeunte iterum febre diſparet; 3) videndum denique, an non *ſpecificus* aliquis ſtimulus, e. g. materia ſcabioſa, herpetica, ſyphilitica ipſam ab initio febrem intermittentem produxerit, ut mox peccantem hanc materiam methodo huic miasmati adverſa corrigamus, & e corpore eliminemus.

COROLLARIA PRACTICA.

1) Multæ ſunt medicorum quærelæ de pertinaci febrium quarundam intermittentium indole, cortice peruviano nullo modo ſubflamminandarum. Cauſſa tunc plerumque latet in lenta viſcerum abdominalium obſtructione; hac itaque uſu ſolventium ablata, febris non raro ſponte fatiſcit. In intermittentibus, quartanis imprimis, ait *cel. Rahn a)*, inquirendum eſt, an non adſint viſcerum obſtructiones; quod ſuſpicamur, ubi urina flava, flaveſcens oculorum color apparent, hypochondria tenſa, maxime in regione dextra, cum dolore fixo, obtuſo ejusdem lateris; alvus parcior, fœces pallidiores, lutaceæ ſunt, appetitus poſt evacuationum uſum

non

non redit. His ſignis præſentibus ſolventia viſceralia cortici præmittere, & tamdiu continuare oportet, donec hypochondria mollia, melior faciei color, alvus magis naturalis, urina magis pellucida, rediens appetitus & digeſtionis facilitas, reſerata viſcera, liberioremque humorum per vaſa abdominis circulum reſtitutum eſſe doceant. Peſſima enim mala ex nimis præmature hic adhibito corticis uſu quandoque oriri ſupra vidimus. Succi igitur, & decocta radicum, & herbarum aperientium cum ſalibus mediis nupta, vel ubi ventriculus a ſalibus offenditur, ægrique nimis debiles ſunt, extracta amaricantia cum gummi ferulaceis ſaponibus mixta, apyrexiæ tempore ſedulo propinanda, inunctiones ex unguentis emollientibus, & emplaſtra reſolventia hypochondriis tumidis & duris applicanda ſunt; hisce per aliquot dies uſurpatis laxantia, quæ ſolutam viſceribus antea impactam materiem educunt, interponenda; probe tamen cavendo a fortioribus draſticis, quæ corpus debilitant, ſubtiliſſimis humoribus privant; & jam impactum fere irreſolubile reddunt.

a) l. c. p. 112.

2) Purgantia & emetica *non indicata* nocent; conditiones, quæ evacuantem methodum requirunt, ſupra ſunt expoſitæ.

Hinc etiam ſignis ſaburræ, febre cortice ſublata, apparentibus, lene datum eccoproticum adeo recidivam non producit, ut eam potius præpediat, ſordibus ſcilicet eliminatis, quæ frequentiſſima ſunt recidivarum cauſſa; quo facto in corticis uſu pergitur. Poſt intermittentes præcipue autumnales, ſponte ſua, vel alio præter corticem medicamento, ſublatas, purgantium uſum eſſe maxime neceſſarium, *Sydenhamus a*) monuit. „ Sublato morbo æger ſedulo purgandus eſt; incredibile enim dictu, quanta morborum vis ex purgationis defectu, poſt febres autumnales ſubnaſcatur, miror autem, hoc a medicis minus caveri, minus etiam admoneneri. Quandocunque enim horum morborum alterutrum paulo provectioris ætatis hominibus accidiſſe vidi, atque purgationem etiam omiſſam, certo prædicere potui periculoſum aliquem morbum eosdem poſtea adoriturum, de quo tamen illi nondum ſomniaverant, qua ſi perfecte jam ſanati. „ Damnat vero purgantium uſum poſt eas febres, quas cortex debellavit. *b*) At non raro ob diætæ vitia, ſeu ob corticem paulo maturius exhibitum

pur-

purgationis neceſſitas adeſt. Quotiescunque itaque primis viis probe purgatis, febris cortice ſupprimitur, præcordiorum tenſio, anxietas, incaleſcentiæ ſubitaneæ nos admonent de latente alicubi ſanationis impedimento, quod prius auferre oportet congrua methodo, atque in hoc caſu præcipue, evacuante remedio.

Recidivæ intermittentium poſt uſum corticis obſervatæ, non cortici, ſed uſui hujus remedii parca nimium doſi exhibiti, neque diu ſatis continuato adſcribendæ ſunt. Morbus enim ex propia ſua indole in recidivas proclivior, facile revertitur, niſi febrilis ille character, continuato corticis uſu, methodo in præcedentibus expoſita, penitus deleatur.

Frequens autem a corticis uſu intermittentium febrium in continuas fit tranſitus, ſi methodus roborans a contraindicantibus prohibetur; ſi cortex nimis mature adhibetur &c.

a) *Sydenham* OP. p. 97.
b) Idem p. 306.

Quandoque tamen ob partium ſolidarum atoniam; præſentibus etiam viſcerum obſtructionibus, cortice utendum eſt. „ Raro vero

ro, præſertim autumnales & quartanæ, remediis digeſtivis, evacuantibus, aperientibus ſolis cedunt; ſed, licet paroxyſmi breviores, & leviores redditi ſunt, pertinaciter tamen redeunt, quin quandoque ſequentes paroxyſmi exacerbari potius videantur; quaſi natura ſordium copia antea oppreſſa, nunc liberius agens, collectis & renovatis viribus occultum illud irritamentum oppugnare conaretur. Atque tunc, cum omnes febris cauſſæ materiales remotæ ſint, tuto ad corticis uſum accedimus, ne febris diutius protracta vires magis debilitet, atque viſcerum functiones perturbando, novam cacochymiam, & obſtructiones inducat. Eadem ratione, ſi præſentibus obſtructorum viſcerum ſignis, adhibitis licet, & continuatis optimis ſolventibus, febris tamen dictis remediis non cedat, ſed potius pertinacior reddatur, & ob hanc febris violentiam ægri in dies magis debilitentur, tunc neceſſario, non obſtantibus obſtructionibus, cortex adhiberi debet; non minores enim morbi a nimis protractis hisce febribus extimeſcendi ſunt, ac a nimis cito ſublatis; icterus nimirum, cachexia, hydrops; binis vero hoſtibus citius occumbit æger, quam uni & una obſtructionum cauſſa ſublata, facilius ceteræ ſuperari poterunt;

tol-

tollemus itaque febrim, ut poſtea fortius in obſtructa loca agere liceat. *a*) "

a) *Cel. Rahn* l. c. p. 113.

4) Cum antiqui quotidianam *pituitæ*, tertianam *bili*, quartanam *atræ bili* tribuebant, obſervatione utique docti aſſertionem hanc, utut nimis generalem, poſuerunt.

Experientia enim conſtat, febres intermittentes quotidianas ſero autumno, atque hyeme, & tempore præprimis pluvioſo regnare; corpora vero, cæteris paribus, magis pituitoſa, debiliora, homines vitæ ſedentariæ deditos corripere; atque facile in febrem lentam, hecticam tranſire.

Febres intermittentes tertianæ magnam cum bilioſis febribus affinitatem habent. Solemne enim illis eſt vomitu & dejectionibus bilioſis ſtipari; atque in corpora diatheſi bilioſa mulctata plerumque incidunt.

Febris quartana autumni tempore, ubi atra bilis regnat, frequentiſſime obſervatur; obſtructiones viſcerum fere ſemper in his febribus ſolent adeſſe; atque eadem eſt hujus febris pertinacia, quæ in omni alia ab atra bile ægritudine obſervatur.

5) Illæ intermittentes *ſoli* mercurio obediunt, quæ a ſpecifico ſtimulo, ſyphilitico

ſci-

ſcilicet, fuerunt excitatæ. Quartanam obſervavit *Fabre* poſt male curatam gonorrhæam. Omnia remedia incaſſum adhibebantur. At poſt quartam jam mercurii inunctionem malum erat ſublatum.

a) *Illuſtr. Richter.* Chirurg. Biblioth. Band. 5. 327.

Obſervatur quandoque poſt validam acceſſionem febrim illico ceſſaſſe; plenaria ſcilicet per ſuccedentes ſibi invicem, atque continuo vehementiores paroxyſmos, materiæ febrilis deſpumatione.

6) Quando ex ſignis paulo ante expoſitis, hominem apoplexia correptum ex febre intermittente perniciosa eum laborare cognoſcimus, quæſtio oritur, an vena ſecanda, an autem ab ea abſtinendum ſit. Id autem ex indole & natura febris debet determinari. Aliam enim apoplexia curam requirit, ſi inflammatoria febris & ſanguinis raptus verſus encephalum urget; tunc utique venæ ſectio princeps erit remedium; ſi autem biliosa aut pituitoſa illuvies febrem producunt, methodus medendi his cauſſis reſpondens, apoplexiam quoque feliciſſime profligabit.

7) Cum febris intermittentis effectus in eo maxime conſiſtunt, ut humorum abundantiam imminuant, obſtructiones viſcerum ſol-

vant, tranſpirationem augeant, atque univerſim æquilibrium ſolidas inter & fluidas partes reſtituant, patet, in quibus morbis ſalubritas a febre ſit ſperanda. At ipſa etiam febris validior, diuturnior, morbos quamplurimos a debilitate ortos augebit.

Notas autem, ex quibus febris intermittentis morbo cuidam junctæ ſalubritatem cognoſcimus, hæ fere ſunt: ſi æger finito quolibet paroxysmo magnum ægritudinis ſuæ chronicæ lenimen ſentit; ſi virium accedit augmentum; appetitus, faciei color, & ſomnus in melius vergunt; univerſim, ſi functiones, quarum hucusque magna erat difficultas, cum facilitate nunc, & oblectamento peraguntur, magna ſpes ſubeſt, accedentem febrem chronici morbi optimam fore medelam. His contrariis, contrarium timendum.

8) Ultimo tandem repetita plurium medicorum in diverſis regionibus epidemiarum decurſum obſervantium, experientia fors aliquando innoteſcit, quo annorum curriculo febres intermittentes, variolarum morbillorumque exemplo, increbeſcant, atque abitum iterum meditentur.

AD.

ADDENDA.

Pag. 134. poſt 3) addatur

4) Metaſtaſes etiam variæ in hac febre contingunt, ad varias partes, ad glandulas præſertim, parotides, glandulas ſubaxillares, inquinales, infauſto plerumque eventu.

5) Sæpe ægri moriuntur ex glandularum meſenterii inflammatione *diuturna*, vix detegenda. Inde omnes inflammationis exitus, ſuppuratio, gangræna, febris *hectica* perſtans, & ægrum conſumens, ob infarctus glanduloſos; qua morte pueri infimæ plebis ſæpe pereunt, etiam non prægreſſa hac febre.

Corticis etiam *peruviani rubri* mentio eſt facienda, qui nuper etiam contra intermittentes ſummopere laudatus eſt. De hoc autem *Cel. Plenck a)* ſequentia habet: "

Cortex peruvianus ruber non depromitur e trunco cinchonæ officinalis, aut caribeæ, ſed e trunco arboris peculiaris *nondum deſcriptæ.* Necdum certo conſtat, an ſit cinchonæ ſpecies. Hæc arbor in *Peru* in provincia *Juncas* circa *Caliſaiam* creſcit, flores gerit coccineos, folia nitentia, ſerici adinſtar mollia, lauro ſimilia, ut mihi *Illuſtris Eques Rubin de Cellis* Viennæ retulit, qui per plures annos Caliſaiæ vixit, ac aliquot millia librarum hujus corticis primum in Hiſpaniam miſit.

Collectores corticis peruviani rubri arbores has diſtinquunt in *mares*, quæ in ſuperficie veſtigiis, ac ſi aves ungues impreſſiſſent, notantur, & in *fœminas*, quarum ſuperficies glabra eſt, harum cortex inertior eſt multo quam marum, & color flavicantior. An inde cortex peruvianus flavus iners?

Odor hujus corticis gratus, aliquantum ſubfragans, aromaticus, amarus; libra medi-

dicinalis nobis uncias novem reſinæ ſuppeditavit. Hinc ejus indoles magis reſinoſa, calida & aromatica, quam corticis peruviani vulgaris. Facilius ſolubilis eſt in aqua & vino, nec adeo facile coctione deſtruitur, ut cinchona vulgaris.

Virtus magis febrifuga, antiſeptica, roborans, at ſimul cardiaca & calidior, quam corticis peruviani vulgaris.

Uſus in febribus intermittentibus generatim; has certius, tutius, & citius curat, quam china vulgaris; imo curavit febres chronicas, & obſtinatas, quas vulgaris cortex debellare non valuit. Ob vim cardiacam convenit, præcipue in febribus & morbis cum debilitate nervoſa complicatis, ut malignis, nervoſis lentis.

Doſis. Uncia β. tantum efficit ac corticis vulgaris uncia I. Hinc ſcrup. I, vel ſcrup. I. β. omni bihorio dandi. Unc. β. ℔. ij. aquæ in *infuſo* frigido, vel calido, aut *decocto*. "

a) *Cel. Plenck* Icones Plantar. Medicin. centur. ſecund. Faſcicul. II. p. 35.

Inter tot corticis ſuccedanea olim & nunc etiam deprædicata, ultimis temporibus *Geum Urbanum* eſt relatum; de cujus tamen efficacia *Cel. Bang* ita judicat *a*): „ Nuperiore tempore a *Buchavio* noſtro commendatus eſt pulvis radicis Gei Urbani contra intermittentes febres; verum e multiplici, quod inſtitui tentamine, compertum & perſuaſum habui, hoc medicamen paucis modo ſufficere, plurimis non opitulari, larga quantitate adhibitum obſtructioni viſcerum anſam dare. “

a) Praxis medica p. 53.

SY-

SYNOPSIS.

FEBRIS BILIOSA.

Polycholia.
Polycholiæ ſanatio.
Febris bilioſæ geneſis.
Febris bilioſæ amplitudo.
Duplex ſtadium febris bilioſæ.
Cauſſæ.
Symptomata.
Indoles paraſitica.
Febris bilioſa ſimplex & cum metaſtaſi.
Febris bilioſa complicata.
Varii exitus febris bilioſæ.
in mortem.
in ſanitatem.
in alios morbos.

Methodus medendi.
in ſtadio cruditatis.
in ſtadio turgeſcentiæ.
Convaleſcentia.
Relapſus.
Perverſa medendi methodus.
Prophylaxis.
Corollaria Practica.
Hiſtoriæ morborum.

FEBRIS PITUITOSA.

Conſtitutio febris pituitoſæ.
Decurſus febris pituitoſæ.
Complicatio cum aliis febribus.
Exitus in ſanitatem.
Exitus infauſti.
Methodus medendi.
Hiſtoria febris pituitoſæ epidemicæ.

PERIPNEUMONIA NOTHA.

Cauſſæ prædiſponentes.
Cauſſæ excitantes.
Symptomata eminentiora.

Methodus medendi.
Hiſtoriæ morbi.

FEBRIS INTERMITTENS.

Prima intermittentium diviſio: ratione periodi.
Quotidiana.
Tertiana.
Quartana.
Simplex & complicata.
Secunda diviſio: ratione anni temporis.
Vernales.
Autumnales.
Tertia diviſio febrium intermittentium.
Sporadica.
Epidemica.
Endemica.
Quarta diviſio: ratione apyrexiæ.
Conſiſtens.
Anticipans.
Poſtponens.
Quinta diviſio.
Manifeſtæ.
Larvatæ.
Sexta diviſio.

Be-

Benignæ.
Malignæ.
Triplex ſtadium febrium intermittentium.
Frigus.
Calor.
Sudor.
Diagnoſis febrium intermittentium.
Tranſitus febrium intermittentium in morbos acutos.
Effectus febrium intermittentium.
Extiſpicia.
Cauſſæ febrium intermittentium.
Cauſſa prædiſponens.
Cauſſæ excitantes.
Cura febrium intermittentium.
in paroxysmo.
extra paroxysmum.
Varia medendi methodus extra paroxysmum.
Methodus antiphlogiſtica.
Methodus ſolvens.
Methodus ſurſum evacuans.
Methodus deorſum evacuans.
Methodus prævertens.
Methodus confundens.
Methodus nervina.
Methodus mixta.

Cura convaleſcentium ex intermittentibus.
Canones prognoſtici.
Febrium intermittentium larvatarum cura.
Hiſtoriæ febrium larvatarum.
Morbi febrium intermittentium poſthumi.
Corollaria practica.
Addenda.